

Ann. III.

Num. XXIII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii *VOX URBIS* possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Apud BURNS AND OATES

ROMA, Via Santa Chiara, 20-21.

IN ANGLIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

LONDON W. — 28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTENT.

Apud
COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.

NEW YORK, 143 w 95th St.

IN CANADA

ET NEWFOUNDLAND

NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.

IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

LUGDUNI

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

Rue Victor Hugo, 5

IN GALLIA

LUTETIAE PARISIORUM

LIBRAIRIE VIC ET AMAT
CHARLES AMAT SUCC.

Rue Cassette, II.

IN HUNGARIA

Apud

C. B. LIPIATY, CORRESP. DE HONGRIE

BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

OECONOMICAE ET SOCIALIS DISCIPLINAe PROGRESSUS	I. Toniolo.
DE IAPONIENSIMUM POESI	I. Antonelli.
DE SEPTEM VERSIONIBUS LATINIS "CASSANDRAE,, SCHILLERIANAE (Symbolum ad historiam poesos neolatinæ)	F. Palata.
NIGRITARUM COMMERCII	P. Rossani.
ISLEIA VIRGO	P. Gepp.
BENVENUTI CELLINI NATALI DIE QUARTO POST SAECULO REMEANTE	A. Costaggini.
DE "SIDEROSTATO,,	P. A. M. Rovitti.
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE	P. Angelini.
FORMICARUM VIVENDI RATIO MICROSCOPIO PERSPECTA	Hersilus.
CUINAM URBIS INCENDIUM TRIBUENDUM QUOD NERONIANUM DICTUR	G. P.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
AENIGMATA	A. E. De Druffel.

In tercia operculi pagina:

PER ORBEM	Viator.
VARIA: Quo perveniet electrides? — Flammiferi ubi plurimi conficiantur	—		
Ioci	P. d. V.
SOCIS MONITUM	A secretis.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCCC

PROSPECTUS
SUBNOTATIONIS
Commentarii VOX URBIS
ANNO MCMI

Pretium annuae subnotationis est: in Italia Lib. **10**;
ubique extra Italiam Lib. **15**; M. **12**; Sch. **12**; Doll. **3**; Rubl. **6**; Flor. **7 $\frac{1}{2}$**
recto tramite mittendum.
ad **Aristidem Leonori** equitem, commentarii ipsius possessorem et administratorem
ROMA - Via Alessandrina, 87

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

I. - Qui nomen commentario dederit pretiumque subnotationis
sive diribitoria chartula, sive credita et commendata epistola recto
tramite miserit uti supra, pridie kalendas Octobres an. M CMI
praemium sortietur, quod ad provehenda studia dicitur.
Idem tot aureis nummis constabit, quot

Summam Mille Libellarum

(1000 francs)

aequent.

II. - Qui e sociis chartulam, quam ad hoc accipiet, remiserit
suo ac duorum e sociis novis subscriptam nominibus, pro duabus
tantummodo commentariis solvet pretium; tertium dono habebit;
atque tamen tria nomina in urna ad praemium consequendum
versabuntur.

III. - Qui cito subnotationis pretium mittet, a die creditae
diribitorio pecuniae numeros commentarii accipiet usque ad exple-
tum annum M CMI.

In
Lib

OECONOM

D ISCIPLI
claruit
tam veheme
niariam, si
simum illum
ipsam prae
placuit pra
blicae, nobis
ab adminis
ciis, hoc est
dicitur.

Nulla ver
tam splendi
quae, in hui
nomen accep

Anno eni
editus est, cu
oeconomica
gidos canone
seorsim a pr
qualia sunt n
ratione mate
Kantianis de
nomicam doc
siorem effec
quam societa
cupavit, nego
deducta est, i
in rerum pub
tractuum lib
epica fama pe
ctio publice
Anglis inito
splendore ill
gloriosa deni
universa Lut

Sed tanti
bantur aquis,
properabat, c
mica doctrina
concepta for
nationum pos
ab ceterorum
cilles contra fo
et divites au
dis, magis qu
spexerat. Ind
sunt, quarum
prima histori

(1) Iucundis
fore duximus, si
plinae socialis n
ea statim nostris
citer obtigisse
referre, ipsius t
Monacensi omni
sime disseverit.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

OECONOMICAE ET SOCIALIS DISCIPLINAE PROGRESSUS⁽¹⁾

DISCIPLINARUM genus multiplex, quibus nostra claruit aetas, considerantibus patet vix ullam tam vehementer populos commovisse, quam pecuniariam, sive *oeconomiam* disciplinam, ob acutissimum illum bonorum terrestrium stimulum, quo ad ipsam prae ceteris ducimur. Quamobrem si Weissio placuit praesens appellare saeculum gerendae reipublicae, nobis rectius videtur eidem nomen imponere ab administranda pecunia provehendisque commerciis, hoc est a disciplina, quae *socialis* vel *oeconomica* dicitur.

Nulla vero ferme doctrina tam subitam fortunam, tam splendidam tamque constantem nacta est, quam quae, in huiusmodi re, scholae *classicae* seu *liberalis* nomen accepit.

Anno enim 1776, quo Adam Smith liber in lucem editus est, cui titulus *De causis opulentiae nationum*, *oeconomica disciplina* primum iuxta philosophiae rigidos canones tractari copta est, attigitque hominem seorsim a principiis quibus humana ntititur societas, qualia sunt morum iurisque praecepta, habita tantum ratione materialis boni. Inde Adami illius consilia e Kantianis deducta doctrinis, a discipulis aucta, *oeconomica* doctrinam liberam illam quidem, sed crassorem effecere, magisque accommodatam singulis, quam societati. Anglica haec ratio athenaea omnia occupavit, negotiatorum in morem consuetudinemque deducta est, ius privatum in Codicibus, ius publicum in rerum publicarum administratione informavit, contractum libertatem ubique contulit. Eadem quasi epica fama per Cobden et Bright est constituta; sanctio publice addita gallico commercii foedere cum Anglis inito anno 1860; fastigium vero impositum splendore illo divitiarum alterius imperii Napoleonic; gloria denique manifestatio accessit in recensione universa Lutetiae Parisiorum habita anno 1867.

Sed tanti aedificii fundamenta abditis corrodabantur aquis, quas inter hodierna « *socialis* quaestio » properabat, cuius augmentum ipsa liberalis *oeconomica* doctrina maxime iuverat. Ea enim universalibus concepta formulis varietatem ac libertatem veterem nationum posthabuerat, hominesque singulos quasi ab ceterorum societate sejunctos considerans, imbecilles contra fortes posuerat, pugnam inter proletarios et divites auxerat, corporis utilitatibus et commoidis, magis quam animorum paci concordiaeque prospexerat. Inde adversae doctrinae paulatim enatae sunt, quarum praecipuae tres sese mutuo fulcientes, prima *historico-socialis* appellata, altera *politico-socialis*.

(1) Iucundissimum semper, pariterque utilissimum lectoribus fore duximus, si quae Josephus Toniolo Italus, recentioris disciplinae socialis magister ubique clarus, humaniter communicasset, ea statim nostris lectoribus exhiberemus. Id hodie quoque feliciter obtigisse gaudemus, quum liceat earum rerum summam referre, ipsius magistri benevolentia redactam, quas ille in Monaceusi omnium eruditorum coetu nuper coacto eloquentissime disseruit. — v. u.

lis, a iunioribus *oeconomiae* cultoribus in coetu ad Eisenach excogitata, ut reipublicae munera ad rem investigarentur; tertia denique *biologica*, quae leges socialis progressus inter hominum conatus ad divitias assequendas perscrutatur. Tres huiusmodi scholae in idem conspirant, hoc est in Hegelianum *pantheismum*; adeoque totius *oeconomicae* investigationis centrum a singulis hominibus ad eorum societatem transfertur, ita ut iam homo nihil sit, *societas omnia*; veroque nomine *sociologica* appelletur *oeconomia*, iuxta ipsius Hegelii celeberrimum effatum: « Nihil est in rerum universitate, sed omnia fiunt ». His itaque innixa principiis et assidua rerum investigatione et experientia adiutrice, novi critici doctrinas omnes veteris scholae aliam post aliam everterunt. Ad hoc vero demolitionis opus socialistarum doctrinae, quae praecipue post seditiones anni 1848 philosophicam formam inderuerant, plurimum contulerunt.

Has inter contentiones *oeconomia socialis christiana* orta est: eam Görres, Villeneuve, de Bargemont, Sismondi primi revelarunt; in Lovaniensi athenaeo Perin primus docuit, in philosophicam formam a. 1862 a Ketteler scriptis redacta est, et in Summorum Pontificum encyclicas litteras post annum 1878 recepta. Nunc autem propugnatores habet Jannet, Pascal, Lemire, Antoine, Pottier inter Gallos; Ricarby, Devas inter Anglos; Winterer, Hitze, Cathrein, Pesch, Hertling inter Germanos. Qui quidem Sacri Evangelii principiis innixi, iunioribus viribus formas saeculi variis in unum cogentes, in id contendunt, ut *subiectivismum*, quod pessimum hodiernae philosophiae malum est, homines renuant, aliquid absolutum in utilitatibus legibus esse cognoscant, et singulorum iura cum iuribus societatis concilient.

Suborta haec, ruente in exitum saeculo, christiana *oeconomiae* apta planeque naturae consona ratio, ad se perducta olim et conciliatura ceterarum scholarum legitima vota, pignus profecto est renovandae societatis, totiusque disciplinae socialis. Atque instaurari quidem sensim doctrinarum huius generis aedificium hodie cernimus ac sentimus. Tria interim ad rem memorare est recepta iam et indubia principia:

I. Societas humanae formam esse *organicam*; id est non ex hominibus singulis, quasi atomis fortuito admotis atque coactis, ortam, sed ex ordinibus, datis legibus atque nexibus, inter se obligatis.
II. Mutuam igitur inter huiusmodi ordines caritatem interesse oportere, atque exerceri, nec, ut contra calumniantur liberales, ordinis in ordinem pugnam, nationumque gentiumque perpetuum bellum. Etenim cuiusque gentis historia eiusdem ordinibus statuendis praebet fundamentum, neque ordines manere possunt, qui variae historiarum indoli non aptentur. Sed socialis communio exsurgit pariter ex ordinum coordinatione, quorum singuli sua libertate gaudeant. Respublica vero ad haec omnia firmanda et veluti obsignanda advocatur, unde iam apud geminas iuris veteris partes, ius publicum et privatum, altera viget paulatim atque roboretur, ius sociale.

III. In duas has formas sive ordinis sive communiois socialis tertia dominatur, quae societatis studiosum impellit ad humanitatis supremam legem enucleandam. Quaestio historiae ad philosophiam pertinet: atqui notum est humanitatis progressum tribus praecipue modis fuisse explicatum. Prima est explicatio eorum, qui *materialistae* appellantur. Hi progressum omnem tum societatis, tum reipublicae, tum litterarum, tum ipsius religionis a variis populorum necessitatibus atque utilitatibus repeatant. Pone subit doctrina evolutionis vitae, qua contenditur formas omnes progressus ex quotidiana illa pugna et lucta pro ipsa vita exsurgere; ex eaque contentione acrioris mentis viros ad perfectionem in dies et ulteriorem usque cultum impelli. At perperam. In id enim, quasi sponte sua, confluere videntur recentiorum philosophorum sententiae, ut memoratam illam utramque doctrinam respuant, collocentque causam omnem humani ascensus in evolutione sublimioris, ut ita dicam, regionis animae. Christiana huiusmodi ratio hac una maxime re principatum obtinebit, quod in factis pervestigandis versabitur. Nam, si brevi, si quando lucidum quoddam socialis disciplinae culmen micabit, exsurget, id sese attollet, tamquam ex fundamento, a disciplinis omnibus, quae facta scrutantur, praesertim ab historia.

Nondum quinquaginta defluxerunt anni, ex quo historia omnis christiana renovatae humanitatis radicus est immutata. Qua ex indagine perspicue patuit lex, unde progressus viae interdum perverti visae sunt. Ex iis innotuit, hodiernam, quam vocant, socialem quaestionem, ex renovata xv saeculo humanitate esse productam, hodiernumque socialismum nobis impendentem quasi poenam esse et pretium ordinis illius deleti, iuxta catholica documenta, media, quam dicimus, aetate, vigentis.

Itaque nova haec doctrina quaestiones omnes publicae *oeconomiae* splendide illustrat, praecipue quae divitiarum distributionem spectant collatae cum ceteris quae iustum, aequum, et socialem caritatem attinent; non enim quaestiones huiusmodi augendorum divitiarum disciplinam tantum respiciunt, sed hominem ipsum tangunt eiusque commercia.

Doctrina de mercede labori debita pertractata funditus est; reiectaque paullatim crudeli illa formula oblationis et petitionis, locum cessit doctrinae de fructu operis ac laboris, cui operarius iure devinctus est. Lucrum, quod operum gestores sibi comparant, veluti summi laboris pretium, in quod, ut bona fructus faciant, ipsi incumbunt, patronos invenit; at pecuniae foenus, etsi frustra Böhm-Bawerk illud defendet, male excusatur, nisi ad indemnitudinem, quam veteres canonistae invenerant, configamus.

Hodierna bonorum ratio, quae tot ac tanta incommoda parit, novas *oeconomiae* studiosis doctrinas, rerumpublicarum moderatoribus novas leges suasit; ita ut *oeconomiae* christiana documenta, quibus semper cautum est, ut pecuniae laboribus inservirent, nec labores opprimerent, veracem triumphum assequa sint.

Similis immutatio circa terrarum fructus facta est, ne, dum ordines qui solum possident elato semper graminum pretio divites sunt, agricultae extenuentur, quorum panis graviore in dies pecunia emitur.

Fructuum enim vim praecipuam esse veluti naturae privilegium, Cohn, Mithoff, Scheel, Devas assidua inquisitione comprobarunt, unde christiana doctrinae aequitas patuit, qua dominis non iura tantum, sed etiam onera et munia adscribuntur. Scholae denique a Malthus nuncupata, quae docet multiplicari in dies humanum genus supra quam ferant sustentandae vitae rationes, omnium sententiis delecta est, praecipue Baghehot, Ingram, Ritchie, Marchall, Sidgwick.

Ex quibus omnibus latius aliquid concludendum est. Magna sunt eaque amplissima quae huiusmodi disciplinae pollicentur, quippe quae paulatim ad christiana cuiusvis doctrinae metam contendant. Quae una coordinatio omnibus hodiernae sapientiae defectibus occurtere potest, pignusque ultro offerre de futura sapientia tandem aliquando instauranda. Quaestio enim, quae inter fidem atque scientiam nexus vestigat, viva semper est; neque enim Brunetièr unus ait: «scientia fide eget», sed et Balfour ille Anglus nobilis vir qui librum ad hoc conscripsit *The fundament of belief*, ipse Heckel, opere cui titulus: *Monismus, inter scientiam atque religiones nexus*. Quod positivistae philosophi docuerunt, veritatem absolutam hominibus imperviam, id a philosophiae dignitate absonum est; animus enim hominis certitudinem quaerit. A fide itaque non est metus; hodierna humanitas vera innumera investigavit atque collegit, quae nunc coordinare iam praestat atque in unum digerere.

Sunt quaedam ex Wundt recentibus effatis, quae cum sancti Augustini ceterorumque Ecclesiae Patrum sententiis concordant. Christiana doctrina totius mundi secreta detexit; neque philosophus ullus, nisi christianus, esse potest, qui phoenomena mundi omnia cum veritate immutabili universalis metaphysics coniungat: una enim tantum est christiana sapientia, quae Ezechielis verba iterare possit: «Ossa arida, audite verbum Domini!»

JOSEPHUS TONIOLI.

DE IAPONIENSIMUM POESI

PUBLIUM Rossanium, virum maiorum sermonis, quo incenditur, studio nobis coniunctissimum omnique humanitate optime excultum, Iaponiam, eiusque civium mores, non tam ob citissimos ascensus extollentem, quam ob incultam adhuc barbariem reprehendentem hoc ipso in commentario recens audiui (1).

Ad eas tamen spes, quas ipse, iuxta animadversionum suarum finem, pandit, laeta mente et iucundo auspicio meum quoque inclinare animum libere fateor. Fiduciam vero etsi potissimum erigant Evangelici verbi secunda satio, quam omnes speramus auctum iri in dies, itemque mirus illius gentis in universa humanitate progressus, est tamen aliquid, plerisque Europaeorum forte non notum, neque perspectum, unde felicissime augurari de futuris Iaponiensium fatis liceat.

Equidem, si quid suave et blandum, si quid lene, gratum et iucundum ad molliendos animos et fluctuos valet, id profecto esse reor dulcia otia musarum, ac melica verba. Ego autem, ex quo juvenis admodum atque lycei inter studia receptus, Petri

(1) Cfr. an. III, n. XX.

Loti, Gallici scriptoris, quo paucos elegantiore aut exquisitiore et animo et calamo pollere sentio, fabellam iaponios enarrantem mores perlegi, cui puella a chrysanthemo vocata nomen dedit illustre, statim insolitam omnis poeseos vim ex tantis naturalis pulcritudinis splendoribus erumpere, propriumque carminum flamen ex mari, ex viridis montibus, ex floribus, exque silvis ultimae illius regionis spirare iucunde conjectavi. Enimvero, cum sive urbana, sive rustica multitudo pulcherrimis rerum adspectibus percelli se usque senserit, atque ad blandos erigi sensus, simul bonas artes omnes, tum architecturae, non in templorum tantum molibus, sed in domum et casarum extunctione, tum picturae quibus parietes et utensilia domestica sedulo exornantur, tum musices denique ac poeseos excoluit. Dilexit itaque semper populus artifices, maxime poetas, et non secus ac sacerdotes suos, et magistros et philosophos, ex ultima antiquitate est veneratus. Enarrabat sane Gallus scriptor alta inter noctis silentia frequentissimum undique, non tantum inter urbanas ferias, sed etiam inter montanas solitudines, chelyon fidumque sonitum exaudiri et hominum vel mulierum voces una concinentes cantiunculas, moesto plenumque rhythmo atque leni modo aptatas.

Apud Iaponienses enim, uti est nativa carminum indoles, neque poesis a musice, neque musice a poesi seiungitur, quae non modo antiquissima et vulgarissima per omnes imperii insulas est, sed quamquam veluti moralem philosophiam semper olet, sententiarumque sapientiam, fulgidis abditam versibus, nitentibusque imaginibus plerumque tradit. Effluxit id, puto, ex singulari illa vivendi ratione, qua ex ultima antiquitate semper deinde poetae usi sunt. Qui, non aliter ac brahaminici sapientes, anachoretæ more, ut plurimum, in montium solitudine sese recipiebant. Locum enim cum selegissent apricum satis atque amoenum, unde et silvarum et aquarum et agrorum pateret lectissima visio, casam sibi ex arborum ramis, vel ex tabulis - ligneae enim plerumque domus incolarum - sibi suis manibus instruebant, congestisque secum, non modo graminibus et frugibus, quae ad vivendum media suppeditarent, sed et magno papyri onere, singula quae circumstabant contemplabantur. Tunc florum colores, avium volatus, solis ortum atque occasum, siderum lunaeque fulgorem, hiemis nivales procellas, veris laetissimas pompas, omnia singulis foliis, qua meliori arte versus effingendi callerent, redderant et reddunt, contendentes saepe ut aliquod ad vitam ducendam aptum documentum vel monumentum sub versuum specie elegantissime enucleent.

Europaeis autem vel Americanis lectoribus, quorum omnium universae litterae iuxta Graecorum aut Latinorum exempla tot a saeculis constanter effluxerunt et proiectae sunt, insolitus sane, inusitatusque scribendi modus, loquendi forma inaudita, carminis motus, similitudines atque imagines barbaro fucata colore profecto videantur. Et sane aliquantulum ea carmina in illa inclinare crediderim, quibus decimoseptimo vertente saeculo Gongora Hispanus, Marinus Italus funesto exemplo scribendi omnem artem perverterunt, vel quae hodie, qui decadentes, vel declinantes, aut symbolistæ nuncupantur, inani prorsus, etsi lectissima dicendi forma, inutiliter saepe, saepe etiam nocentissime effingunt. Nam imperatoris, puta, effatum, non ab eius nomine commemorant, sed tamquam «leonis» vel «draconis» verbum; Iaponiam regionem «florentem cerasum» vocant; mulieris vultum cum lectissimo flore comparant, eiusque fluctuantes gressus cum salicibus, quae flante zephyro fremunt: «Si quis petierit Yamato (id est

Iaponiae) adspectum, respondite», ita Motoori Nori-naga, poeta vulgarissimus scribit, «cerasus est montanus, pulcherrimus, qui sub sole fulrido odores suavissimos spargit».

His formulis atque imaginibus Iaponiensium poesis a bis mille et quingentis viget annis; memoriae immo et traditiones fabulosae primaevae aetatis, cum Iaponiam dii incolerent, auctorem carminis primi recinunt canem fuisse, qui στρωφήν ex una et triginta syllabis optime digestis descripsit, cuius primus versus et tertius, quinque; secundus, quartus et quintus septem syllabas habent; στρωφήν huiusmodi *outa* vocant, eiusque semper ad formam, hodiernis quoque diebus, carmina effinguntur. Id carmen adeo acceptum populo et vulgatum est, ut ipse imperator et optimates, pariterque plebs urbium et agrorum in illud effingendum incumbant, saepe immo apud honestioris ordinis cives dies et vesperae in parvis illis strophis condendis deducantur, quarum summa brevitas difficultatem constituit. *Tanzaku* chartae frustulum vocant, quo plerumque suum quisque carmen describunt, cuius triginta vix syllabis sensus omnes et animi motus exprimere vates cogit.

Est quidem *outa* illa tum amoris efficax epistola, tum deprecationis praepotens formula, qua et imminens ipsius hostis gladius saepe retardatur, et vel deorum irae placantur, vel libertas et divitiae parantur. Poeseos enim amore fervidissimo incensus saepe Iaponius vates, artem, munus, officium negligit, in egestatem saepe ruit, at ditioribus semper sociis musarum devotis iuvatur et alitur: legendi aut scribendi nunquam intermissus labor multos oculorum acie, multos etiam recto rationis lumine obravat.

Id Huawa Kenghiò inter ceteros contigisse dicunt. Qui tamen, lumine captus, solus iter facere coepit, carminum suavitatem ubique occurrentibus effundens. Inerat in eo tanta pulcrarum rerum memoria, ut passim deos precaretur, ut sibi oculos redderent ad eas rursus percipiendas: amici cum advenissent dum blanda luna imminet, eumque servide orarent ut de Diana conderet versus: — Atqui — ille lacrimans reddidit — ecce lunam suavissimam videre nequeo? Oh utinam flos illa fiat quem blandire digitis possim, ut odore suavissimo animam reficiam! — Quae sensus suavitas deos tandem ipsos vati adversos flectere ac vincere potuit! Narrat enim Iaponia plebs quodam vespere ad Alaski templum, pulcritudine eximia celeberrimum, Huawa Kenghiò pervenisse, omnem inibi noctem perduxisse, deumque *Kami* poemate notissimo rogasse ne pulcritudinis adspectum ultra denegaret, et mane sequenti inopinato oculos eius apertos iterum fuisse ac locum amoenissimum undique conspexisse.

Nec minus potuit Takarai-Kikaku poetae, quem veluti sanctum Iaponii habent, oratio. Annua iam siccitate agri laborabant, arescebant sulci et glebae, fames horrida agricolis squalentibus imminebat. Poetae per agros aridos iter facienti, rustici orantes occurrunt ac supplicant ut *outa* carmine deos deprecaretur. Cum itaque ille diu meditatus versus fuisset, ac descriptisset, nensis manibus recitavit: nec longum temporis momentum effluxit, cum statim nigricat caelum, congeruntur nubes, tonitrua strepunt, pluvia que foecunda tandem decidit.

Hodiernis diebus idem est huius generis carmini honos, sed verba et versus expoliatore semper stilo curantur: vis enim carminis pulcre effici eo maiori et hodie habetur, quo plurima in versibus nitent. Quare, ut sermonem concludam, ad ea, quae

Rossianus nostri
phis bene augu
medium existim
si quis callide
canens quae re
geliis, in sanct
audientium vel
facilius imbuat,
vendi rationem

DE SEPTEM

“CASSA

(SYMBOLUM A

CARMINIBUS
rum quantum
saeculi XIX. Qua
opuscula, ea dis
mucose obducta
ad hoc exstat co
nus lusibus fusi
metricos (1) et
minum neolatin
interpretibus po
eorum numero v
bant fidibus latini
Horatii, Ovidii e
nitore cum laud
sane sunt, quoru

Carmina rec
possunt in ser
poesin latinam a
medii; id est a
metris, pentamet
bant poetae, au
pangit syllabarum
bita, eosque simili
evadant. Si quis
recedere saepe c
convertendum: i
fingit, quam con
rationem, ei mag
Utrumque conve
tores et cultores
pariter delectare
athenaeo Leodie
archaeologiae pe
insignis.

Ex omnibus
ciebat interpretes
longe celeberrim
iterumque latinis
vertebatur *De ca
Glocke*) et duo c
this ad bellum T
Cassandra et *He
Mihi quidem ip
septem versiones
subiicere non pu*

Prius quam
praefanda vident
nis Schilleriani. I

(1) Velut: *Prakt
gung lateinischer Ve
zig, 1836-1840.*

(2) Imprimis Ad
Leipzig, 1897.

toori Nori-
us est mon-
ido odores
ensium poe-
; memoriae
aetatis, cum
minis primi
una et tri-
ius primus
is et quintus
odi outa vo-
ernis quoque
adeo acce-
imperator et
agrorum in
no apud ho-
e in parvis
um summa
it. *Tanzaku*
aque suum
ta vix syl-
mire vates

ax epistola,
qua et im-
atur, et vel
divitiae pa-
no incensus
fficum ne-
bus semper
ur: legendi
multos ocu-
lumine or-

ontigisse di-
iter facere
currentibus
rerum me-
sibi oculos
amici cum
cumque fer-
—Atqui—
auissimam
quem blan-
animam re-
ndem ipsos
Narrat enim
i templum,
a Kenghiō
e, deumque
ulcritudinis
quenti ino-
ac locum

etae, quem
Annua iam
et glebae,
nebat. Poe-
rantes oc-
eos depre-
sus fuisse,
ec longum
n nigricat
punt, plu-

us generis
re semper
effici eo
versibus
ea, quae

Rossanius noster de fide Christi per Iaponiam triumphis bene auguratur, citius adimplenda, opportunum medium existimo *outa* carmina posse praebere. Haec si quis callide et perite considererit, ea enarrans et canens quae religio nostra in sacris libris, in Evangelii, in sanctorum historiis pulcherrime praebet, audientium vel legentium animos divinis documentis facilius imbuat, et ad christianam credendi et vivendi rationem suavius pariter et planius deducet.

I. ANTONELLI.

DE SEPTEM VERSIONIBUS LATINIS

“CASSANDRAE,, SCHILLERIANAE

(SYMBOLUM AD HISTORIAM POESEOS NEOLATINAE).

CARMINIBUS aevi recentioris latine reddendis minus quantum delectabantur multi homines docti saeculi XIX. Quae vero huic studio originem debent opuscula, ea dispersa latent in bibliothecis, situ et mucore obducta oblivionique paene mandata. Nulla adhuc exstat commentatio, ubi de hisce sane ingenuis lusibus fusius agatur; si excipis libros quosdam metricos (1) et prolegomena ad collectiones carminum neolatinorum (2), tacetur omnino de latiniis interpretibus poeseos recentioris. Attamen erant in eorum numero viri, qui adeo dextere canere sciebant fidibus latinis, ut exemplaria antiqua Vergilli, Horati, Ovidii et elocutionis suavitate et versuum nitore cum laude aemularentur. Quamobrem digni sane sunt, quorum memoria ab interitu vindicetur.

Carmina recentiora dupli ratione transferri possunt in sermonem latinum: aut enim interpres poesin latinam antiquam imitatur, aut latinam aevi medii; id est aut carmen induit versibus hexametrus, pentametrus alisque, quales veteres formabant poetae, aut metro archetypi retento versus pangit syllabarum accentus grammatici ratione habita, eosque simili distinguit exitu, ita ut ἵππος τέλευτα evadant. Si quis priorem sequitur rationem, multum recedere saepe cogitur a verbis poetae, quem sumit convertendum: immo carmen potius rexit vel refingit, quam convertit. Qui vero alteram praeferit rationem, ei magis premere licet verba archetypi. Utrumque conversionis genus suos nactum est fautores et cultores. Quid? quod erant, qui utroque pariter delectarentur, velut I. D. Fuss (doctor in athenaeo Leodiensi, natus a. 1800), vir non minus archaeologiae peritus, quam linguae latinae scientia insignis.

Ex omnibus vatibus aevi recentioris maxime alliciebat interpretes latinos Schiller, Germanorum poeta longe celeberrimus, cuius carmina nonnulla iterum iterumque latinitate donabantur. Imprimis saepe vertebatur *De campana carmen* (*Das Lied von der Glocke*) et duo carmina, quorum argumenta ex mythis ad bellum Troianum pertinentibus petita sunt: *Cassandra et Hectoris discessus* (*Hektors Abschied*). Mihi quidem ipsi contigit conquerere non minus septem versiones *Cassandrae*, quas hic limae criticae subiicere non puto a re alienum.

Prius quam opus propositum aggrediar, pauca praefanda videntur de argomento et forma carminis Schilleriani. Est autem argumentum huiusmodi:

(1) Velut: *Praktische Anleitung zur Kenntnis und Verfertigung lateinischer Verse von FRIED. TRAUG. FRIEDEMANN*, Leipzig, 1836-1840.

(2) Imprimis ADOLF PERNWERTH VON BAERNSTEIN, *Imitata*, Leipzig, 1897.

Polyxena, Priami filia, Achilli desponsa, omnes laetantur Troiani fore, ut luctuoso bello finis imponeatur. Communis gaudii non sit particeps Cassandra, soror Polyxenae, quippe quae vaticinandi munere ab Apolline praedita, mente iamiam cernere sibi videatur calamitatem patriae imminentem. Relicta igitur urbe nemus petit Apollini sacrum, ibique graviter queritur de sorte popularium suorum, quod vana spe occaecati fausta quaeque sibi spondeant, nec futuram cladem provideant; nec minus dolet vicem suam, quod mala, quae praesagiat, nequeat avertire. Vix finit querelas, cum clamor oritur in urbe preustum esse Achillem. Ita spe pacis reconciliandae extincta, exitium imminet Troiae.

Poema constat sexdecim strophis octostichis, in quibus alternant tetrapodiae trochaicae catalecticae cum catalecticis. Versus simili exitu inter se devincti sunt iuxta normam: ab, ab, cd, cd.

Hoc igitur carmen, quod argumenti gravitate et intimos animi sensus exprimenti arte ac subtilitate vehementer movet percellitque animos legentium, latine verterunt: a) Gustav Feuerlein, a. 1831; b) Theodor Echtermeyer, a. 1833; c) I. D. Fuss, a. 1823 et 1837; d) C. Eidenbenz, a. 1838; e) Venceslaus Al. Svoboda, a. 1845; f) Ernestus Reinstorff, a. 1885 et 1895; g) Fredericus Strehlke, a. 1885 et 1894 (1).

(Ad proximum numerum).

FR. PALATA.

NIGRITARUM COMMERCII

Ex quo Speke, Barker, Livingstone ceterique fortissimi Afrorum litorum exploratores Africae latebras virtute audacissima ita itineribus persulcarunt, ut barbaros earum regionum incolas nostrae humanitati quodammodo primi addiderint, gavisi sunt plures iamiam reputantes ultimum veteris servitutis perfugium, cui inhospitales plagae favebant, proxime iri deletum. Eadem pollicebantur simul quae ad Nili fluminis recognoscendos fontes deducabant expeditiones, neque ubiores inde fructus augeandae sapientiae futuri videbantur, quam qui libertati humanitatis provehendae manerent.

Multis immo abhinc annis Europaeorum populi iunctis viribus et copulatis armis servorum foedissima commercia, quae per late patentes Atlantici oceani fines exercebantur, prorsus deleverant; inque Dahomey regno atque in finitimis regionibus, quas Nigrum flumen irrigat, cautum erat tandem armis et edictis, ne ex belli iure captivi in nave congererentur, neve ad eorum corporum libertatis quaestum faciendum abducerentur ex patria.

Patebant nihilominus binae adhuc turpissimo commercio viae, quarum aliam ex Zanzibar mercatorum huiusmodi genus inibat, aliam adversam ex Nilo. Sed haec quoque exploratorum conatibus rerumque publicarum curis servorum miseria turbis occlusae sunt. Una tamen mansit, quae ex El-Obeid (quam Arabes ex recentissima Mahdistarum secta civitatem sanctam habent) Kordofan regionem transit, inde septentrionem atque occidentem versus, etsi millia milibus dissita passuum, gemino tamen cum Nilo flumine pergit itinere, postea ad laevam flectens Libyae desertum Saharaque fines, qui Tripolim attinent, persulcat, Murzuck usque ad urbem, quae Fezzan

regni caput est. Hanc si quis Europaeus viator viam percurrit, candidis passim ossibus nitentem videt, et cadaveribus hinc et inde obtectam miserorum omnium qui, antequam ad nundinas pervenissent, in itinere occubuerunt. Ita Anglorum conatibus frustra adhibitis et fractis, Arabes vaserrimi pecudum more Nigritas ad servitutem adhuc deducunt.

Cameli plurimi miserae turbae ad frontem properant, equites ballistic lanceisque instructi per ordinem omnem discurrent, ut iter moderentur. Horum nonnulli fustes et flagella ex hippopotami corio distractentes, si quis forte claudicet, vel remittat gressus, iterum iterumque persecutiunt. Ita quo magis properat ordo, eo magis deterior fit tot miserorum adspectus. *Djellaks*, selectorum equitum, crudelitatem compulsi, viri saepe fortissimi, mulieres iuvenes admodum, pueri nudato dorso, quem fustigatio saepissime sanguine irrigat, vi horribili sibi inflata frementes, oculis ob intimum angorem dilatatis, supremo luctu premuntur, ne, fracta ictu cervice, belluarum in escam derelinquantur. Turbam enim ex una in alteram stationem belluae sequuntur, iisque castramentibus integra semper nocte adsunt. Qui validiores sunt viribus ita praeceunt; nonnulli bini chordis devincti progrediuntur, alii ligneum orbem circa collum suspensum gestant, alii graviora pondera compedibus pertrahunt. Manus autem funi obligantur, quae ex captivi, qui praeceedit, collo descendit: his omnibus ne seditio exoriatur mercatores prouident.

Si qui autem inquieto magis animo sint, nova fune ad equitis cuiusdam ephippia connectuntur, atque ad equi saltus et cursus horridos et ipsi impelluntur. Puellarum centuriae, pretiosissimae veluti praedae, seorsim in camelorum dorsibus consistunt. Harum praeceps est mercatoribus cura, ut optime corpora enutriantur, quae potissimum mercis pretium constituent, totiusque itineris labores ingenti foenore rependent. Sunt plurimae pulcherrimae sive nigerrimo, sive nigricante, sive albicante etiam corporis colore: ex Der-Nuba montibus enim, ex lacum regionibus, ex Aethiopia virgines rapiuntur. Adest quoque camelorum manus ad convehendos pueros, qui diuturnum calcare iter nequeunt, hos nimurum, sive magnis rubrisque in canistris, sive gibbis adligatos, gigas bellua gestat, quamvis et matres sint, quae lactentes humeris aut ulnis sustineant. Interdum, fractis tandem viribus, humili servus procumbit. Advenit statim custos, et, diro flagello veluti calcari admoto, ut iterum surgat fessum plectit. Quod si ille nequeat, ordinis ducem appellat, qui equitans progreditur et prolapsum quanti venundari possit aestimat. Inde, si operae pretium videatur, consperso aceto refici miserum atque camelio imponi iubet, si contra nimis senem, aut imbecillum, aut exhaustum putarit, derelinquendum decernit; quem cito obsequentes belluae avide vorabunt.

Hora refectionis adventante consistit turba omnis, ducesque ad epulas consistunt, dum servi, custodibus saepi, veluti canes vilibus escis hordeo vel tritico crudo, vel herbis palmarum oleo et adipem conditis reficiuntur. Pueri contra dactylibus fisicisque, et si qui alii sunt dulces fructus, donantur; interdum etiam una cum ducibus ad lauta convivia convenient, ut optimae valetudine ad venditionem fruantur. Haec inter moventur saepe clamores et questus ex hoc vel illo servorum agmine vel quod cibus satis non sit, vel quod vilis atque corruptus videatur. — Accedit tunc princeps rem cogniturus, centenisque ictibus rependi seditionos iubet, ac flagellatorum inter lacrimas et querelas refectione absumitur. Post cibum quieti tempus datur, advigilantibus undique custodibus ne quis fugam capiat, quamquam ob adiectos pedibus compedes impossibile plerumque id evadit. Ita integrum saepe vel binis mensibus deducitur iter.

Has turbas Angli vel Aegyptii milites inopinato non-nunquam aggrediuntur, disiciunt, dominos captantes, punientes, et captivos in libertatem restituente; sed vindicatorum plures saepe ad alios confugunt dominos, qui, medio in deserto, eos saltem fame obire non sinant; quamquam haud raro fit ut, pro re nata, ipsi pessimos inter raptore viciissim postea recenseantur. Mediis enim

omnibus ad redditum destituti, nil iam aptius ad vitam trahendam sese habere arbitrantur, quam ut fratres suos corripiant et eorum corporum viriumque questum faciant.

+

Hæc si frequentius reperirent nostræ Afrarum rerum avidissimæ gentes, quæ una regnandi cupidine ductæ in tam cruentas saepe discordias ruunt, laudabili contra aemulatione certabunt, ut tantum humanitatis decus, constanti simul et prudenti conatu, tandem aliquando tollant, initiumque christianaæ caritatis opus omnino perficiant.

P. ROSSANI.



ISLEIA VIRGO

*Aspice, de scopulo speculata Islëia, virgo,
Quem furor Oceanii, quem premil ira Poli. —
Aspice ut illa levi tenuissima cyma carina
Cerret in aequoreas fortiter ire minas.
Obvia surgenti ventorum aestusque tumultu
Prosilit aversum gurgite mersa latus.
Bella gerit; sed iniqua gerit; certare quid urgat.
Sic temere? optatam quaerit adire domum.
Haud procul ecce volat mergus, cui penna volanti
Alba procellosa emicat inter aquas,
Inque nigrescentem nimbum caelicque ruinam
Fulgidis ad scopulum circinat ales iter.
Cur ubi nigrescunt nimbi insanisque procella,
Rupis inaccessum cur petit ille caput?
Cur loca gurgitibus saevisque obnoxia ventis
Agreditur? propriam gestil adire domum.
Qualis in infastam venitus pontusque carinam,
Talis es in nostras, dura puella, preces;
Frigida ut est rupes tumidum quae prodit in aequo —
Qua fulicae pennis composuere suas —
Frigidior scopulis saevisque immotior undis
Sis licet, at requies tu mibi talis ades.
Namque in amore tuo, Galatea, suove sepulcro
Cogitur Antinous pace domoque frui.*

(Ex GUALTERIO SCOTT).

P. GEPP.

BENVENUTI CELLINI NATALI DIE
QUARTO POST SAECULO REMEANTE

WOLFGANG Goethe, post maximos exantatos labores, postque ausonium expletum iter, cum, Weimar in urbe, italico sermoni addiscendo rursus impensisusque operam navare constitisset, nil dignius nihilque aptius moliri ad rem sese posse censuit, quam si Benvenuti Cellini *Vitam*, ipso a summo artifice conscriptam, germanica lingua redderet. Negotium imprimis arduum maximeque rude efficiebant hinc compitissima linguae nostræ et quodammodo attica venustas, qua liber erat conscriptus, inde rhetorices præcepta felici quodam ausu spreta, ipsiusque grammatices canones quandoque violati. Adeo tamen vivam et potentem quidquid reddendi, sive verbo, sive scalpro, facultatem summo auctori natura dederat, ut, quemadmodum italos lectores sibi indesinenter devincire Benvenutus est callidus, ita et germanicum summum interpretem magica veluti virtute captivum efficerit, initique a se operis adeo servum, ut iam ad quidquid cogitandum, effingendum, expromendumque impos evaserit, quoadusque *Vitam* Cellinii omnem ad ultimam vel lineolam nordico eloquio suo sit interpretatus.

Quæ quidem interpretatio, vel inter ipsos Wolfgangi, principis Germanorum auctoris, libros summis



Benvenuto Cellini.

laudibus cumulata, lectores innumeros per Teutonorum oras adepti sunt; quæ enim exsurrexerat inter Benvenutum enarrantem et interpretantem Wolfgangum cogitationum sensuumque communio, et pulcritudinis intelligendæ similitudo, alterius animum, motus, iudicia in alterum veluti transfusisse visa est. Et profecto, vel si hodiernos quoque Benvenutum præscivisset honores, quos quarto remeante saeculo ab eius natali die Romani aurifexes in summa Capitolii arce ad eius extollendam memoriam contulerunt, vel quos Florentini artium ingenuarum sodales reddere sese accingunt, nullum tamen altius splendidiusve sibi, gloriissimo quo erat animo, tribui desiderasset laudis signum, quam quod Wolfgangus ille regali calamo eius nominis constituit.

Nec tamen impar meritis tributum ille forte existimasset, qui cuiusvis artis indubie princeps peritissimusque artifex, idem superbia et iactantia intumescebat adeo, ut nescias utrum insigne meritorum pondus eam antecelluerit, an contra petulantis animi arrogantia illud omne intolerabiliter obruerit. Ceterum quantum ipse de se mire sentiret, ingenuo in carmine aperuit, quod imprimenda sua *Vitæ* preposuerat:

*Questa mia vita travagliata io scrivo
Per ringratiar lo Dio della Natura
Che mi diè l'Alma e poi ne ha huto cura:
Alle diverse imprese ho fatto, e vivo.
Quel mio crudel Destin d'offesa ha privo,
Vita ho, gloria e virtù più che a misura,
Gratia, valor, bellà, cotal figura,
Che molti io passo, e chi mi passa arrivo (1).*

At leve hoc et quasi prætereundum in tanto homine vitium videretur, nisi maiora et graviora urgerent. Ecce enim *Vitam* illam lepidissimam perlegenti, non tam auctoris ipsius panegyrica oratio non apparuit, quam vel aemuli vel adversarii assidua incusatio libellusque causæ indicandæ acerrimo calamo exaratus? Quis enim tam quieto animo tamque libenti sermone tota crimina de se enarraverit, dinumeraverit, descriperit, nihil timens, nihil suspicans se apud aequales, et apud posteros, potiusquam perpetuam laudem, immortale contra scelesti nominis vituperium assequi posse? Quid contra ille de peccatis suis deque delictis censem? Poenitet sane ali-

(1) Seilicet: Vitam hanc meam laboriosam describo, ut Deo grates reddam, qui mihi spiritum elargitus est, curaque gessit: alta variaque facinora explevi et vivo; crudele fatum me ne laederet cohibuit, gratia, virtute, pulcritudine adeo me cumulavit, ut multos prætergrediatur, et a quibus vincor eos adaequem.

quantulum, sed cito inutilem poenitentiam esse ratus, lepide seipsum hortatur ut quieto ac contento animo sit, atque ad novos ascensus erigatur:

Poichè il pentir non val, starò contento.

Quodnam igitur de homine ferendum iudicium, quanta ipsi adscribenda culpa, quanta aetati vel temporis, quanta hominibus, nec iustis ferme nec piis, quibuscum conversatus est? Perduta sane et plena laboris et irrita plerumque inquisitio. Hoc autem affirmare tutum sit, in Benvenuto caelandi scalpendique peritiam arrogantiam et iactantiam aequasse, utramque autem cuiusvis iusti rective ignorantiam, et paene inconscientiam vicesse. Nec aliud iam ipsius in animo supererat rerum sive moralium sive externarum discrimen, quam quod in pulcro aut foedo discernendo adhiberet: non aliter, quam callidissimi illi Alexandrinae philosophiae artifices, quorum ad exemplum Petronium, arbitrum elegantiarum, legimus ab Henrico Sienkiewicz descriptum, vel ad imitationem hodierni Nieztsche asseciae, qui incidentes compellantur, sese gerunt.

Id potuit enim, ut, in tanta licet morum corruptione, tantaque intellectus amentia, opera tamen eius e scalpro prodierint, quibus maiora nullus unquam aurifex, pani sculptores ediderint. Nec multum a veritate abesse auctor nepotum sententiam censuit, cum sese vix Bonarrotio secundum ipse posse ausus sit.

Rogabat ipse, impudenter, suos cives: — Estne quis in terra venustior conspectu iuvenis, quam meus Perseus? (1)

Sed recte: nisi ad *Antinoum*, vel ad *Apollinem*, quos veteres effinxerunt, configuiamus, nisi ad Bo-



Perseus, Benvenuti Cellini opus.

(Photographice expresserunt Fr. Alinari - Florentiae).

narrotii aemulum *David* convertamus oculos, tantæ venustatis ephebum vix unquam sculptor effinxerit.

At *Perseus* ille, etsi maximum superstiterit Ben-

(1) Puossi in terra veder garzon più bello
Del mio Perseo?

venuti gloriae libus fuit operibus usque senectute perficit. Nummi ceteraque auri sculpsit vel caeruleumque temporis quæ reliqua suæ sequutum test vel imitantibus p. *Fontis Bellaquei*, bente effinxit, lignea tandem icones, si quæ a carissimis posside tificio nostrorum evincunt, ut non sentiamur magni. Che molti io passo,

DE "SIDE"

Clarissimo viro A. V. der Maria Rovit

SUPINIS manibus tuas, in quibus terum Expositione narreas, quæ mili (oro, meis) ferme princeps et caput. Constantius? Aut quid s. rum ordinem, vice Quæ mili content noctibus in more nisi dolens, nec in animoque pacatus, Quamobrem uti scriberes, quo ritu quotidianis fere votis a te pulcherrima sci telescopiæ huius molere integrum huma sperabat.

Et quidem in su mentarii *Vox Urbis* tuam; at me spes, d. non enim illuc, quea

Quo igitur prombus animus meus, olivæ vestra duce, se cael sperabat, expleri credi adhuc et famelicus astronomicis inquisi gulis, quæ inde nos notasti. Undenam, pretiosiora thesauris, inde autumabamus gentem exitus aequa

Premor undique possit, et rem tradere tem is sim, qui veritas omnibus ut aperte oculi confitetur; qui enim olim sodales mei, re

Atque ad nome non recte appellatur enim, graece, idem statici non iure dicti sed ventorum pernitiuti constituti, non stant et propterea in quondam « aero»

antiam esse ratus,
contento animo
ar:
tentu.

endum iudicium,
a aetati vel tem-
ferme nec piis,
a sane et plena
Hoc autem affir-
andi scalpendique
aequasse, utram-
tantiam, et paene
ipsius in animo
externarum di-
edo discernendo
simi illi Alexan-
ad exemplum
egimus ab Hen-
ad imitationem
identes compel-

set morum cor-
ita; opera tamen
aiora nullus un-
erint. Nec mul-
tum sententiam
undum ipse po-

cives: — Estne
nis, quam meus
ad *Apollinem*,
nisi ad Bo-

venuti gloriae monumentum, unum tamen ex milibus fuit operibus, quae in diuturna vita ad ultimam usque senectutem labore assiduo Florentinus artifex perfecit. Nummi, monilia, torques, candelabra, vasa, ceteraque auri argente vel aeris utensilia, quae sculpsit vel caelavit, nemo dinumeraverit. Ea plerumque temporum vicissitudines absumpserunt, sed quae reliqua sunt tale peritiae fastigium artificem assequutum testantur, quo perarduum sit semper vel imitantibus pervenire. *Iupiter fulminans, Nympha Fontis Bellaquei*, quae Francisco I Galliae rege iubente effinxit, florentino *Perseo* digni comites erant; lignea tandem vel eburnea sculptilia, scrinia, sacrae icones, si quae adhuc a viris fortunae carissimis possidentur, subtili operis artificio nostrorum admirationem prorsus evincunt, ut non inviti Benvenuto assentiam magno sese hiatu extolli:

Che molti io passo, e chi mi passa arrivo!

A. COSTAGGINI.

DE "SIDEROSTATO,"

Clarissimo viro A. Vieillot Petrus Alexander Maria Rovitti s. p. d.

SUPINIS manibus epistolas exspectabam tuas, in quibus, de Parisiensi omnium rerum Expositione belle narrans, ea quoque narreas, quae mihi (studii hoc indulgeas, oro, meis!) ferme rerum omnium sunt et princeps et caput. Quid enim caelo praestantius? Aut quid salubrius homini astrorum ordinem, vicesque contemplanti? Quae mihi contemplatio sane singulis noctibus in more est, nec ab ea revellor nisi dolens, nec inde, nisi spiritu melior animoque pacatus, infinita pace discedo. Quamobrem uti aliquid de « siderostato » scriberes, quo ritu perspicue soles, ipse quotidianis fere votis expetebam, utque ita te pulcherrima scirem, quae ab immanni telescopii huius mole non ipse modo, sed fere integrum humanum genus sibi fore sperabat.

Et quidem in superiore numero commentarii *Vox Urbis* hodie legi epistolam tuam; at me spes, diu corde sota, fefellit; non enim illic, quae desiderabam, inveni.

Quo igitur promissa illa abierunt, quibus animus meus, olim erectus, scrutatione vestra duce, se caelo plenus ingurgitare sperabat, expleri credebat? Ecce et sitiens adhuc et famelicus sum; nihil enim de astronomicis inquisitionibus, nihil de singulis, quae inde nos manebant speranda, notasti. Undenam, et quorsum ista? Silento premisne pretiosiora thesauris, aut ideo taces, quia thesaurus, quem inde autumabamus futurum, effossus minime est, nec in gentem exitus aequavit conatum?

Premor undique dubiis, nec video qui et me sablevare possit, et rem tradere prouti est, ac explanare. Quum autem is sim, qui veritatem prae ceteris diligam, illud esto prae omnibus ut aperte colloquar tecum, et quae animo verso, tibi confitear; qui enim Lutetiis amici sunt adhuc, in studiis olim sodales mei, rogati semel et iterum, conticescunt.

Atque ad nomen quod attinet, « siderostatum » mihi non recte appellatum veraci Pallade videbatur. « Stasis » enim, graece, idem est ac latine « mora »; inde aero statici non iure dicti sunt globi qui in aere non perstant, sed ventorum permissi arbitrio, et in potestate eorum constituti, non stant, sed vagi abeunt quo flamina ferant; et propterea in commentario nostro hos rectius legi quondam « aerovagos » fuisse appellatos. Quid hoc

habet, quaeso, commune cum « siderostato », cui cognatio, affinitas potius est cum « hydrostatica »? Aerostatum vere dicam globum, qui e verticibus Apennini quinto idus Octobris in aetherias regiones oriente sole inmissus, inermibus dabat oculis intuenda omnia quae ad utrumque usque mare, quod Italiani alluit, patebant. Tremulae albantesque longius patebant undae pelagi, cristatae Apennini apices subitus aspicebantur, et per campos serpentia flumina, et in montibus migrantia nemora, et fumantia villarum culmina, et eminens e rupe colossum, Redemptoris Christi crucigera imago. Stabat autem aerostatus aeterna fune detentus, medio libratus aere; iamque ita aerovagi nomen amiserat; non enim vagari licebat.

At siderostatum vestrum illud numquid medio libratur

Mantois et Gautier spatium inter duos crystallos, occultare et obiectivum, sexaginta metrorum constituerunt, addidere speculum, quod reflectat, duorum diametro metrorum patens, gravia haec ad quatuor chilogrammatum millia, adlaborante Despretz, ita, ut integri siderostati pondus inter quadraginta et quinque chilogrammatum millia sit. Nunc igitur ad auferendum ingentem eius truncum ab Expositionis campo quadrangenti et quinquaginta mili e validissimis illis, qui tormenta bellica trahunt, aegre sufficient, opus et ausus Francisci Deloncle.


Neque nos, neque ipse tantum erigebamur spe, sed ipse Pontificis nuntius in palatio illo Expositionis Parisiensis, cui ab optica nomen, pridie nonas Iunias, Ianssen accipiente, magnoque nobilissimorum virorum adstante

comitatu, aperte fassus est Leoni XIII maxime cordi esse omnia, quae oculis humanis subsidio esse possint ad sideralia perscrutanda spatia; firmamentum esse sericum quoddam aureis filis atque adamantibus intertextum, quod artificis aeterni peritiam et potentiam amplissime pandit. At quidnam ipse erit artifex rerum, quae lux, qui splendor in hoc astro, quod nemo creavit, namque est a se, quod omnibus dedit lucem et magnitudinem, et ipse ne hilo quidem pauperior factus sit, nec ipse ab aeternitate sua et immensitate devius processerit? Plauerunt omnes dicenti et mittenti. Ubi plaudentia ora quieverunt, superaddidit: In nupera solis eclipsi perspexerunt, probaveruntque docti viri mirabilem solaris nostri systematis dispositionem, ordinem, virtutem, quibus patet omnia constituta fuisse a mente quadam omnipotenti et infinita, quae invisibles caelestium perfectiones rerum, scientia satagente circa phoenomena, visibles facit. Non omnes cum Angelo Secchi consentiunt quoad lunam planetasque intelligentibus habitatos creaturis; attamen, tu procedas ultra, o siderostatum, et si quid valueris, respondeas in rem. Quasi navis in ignota gradiens ut inquiras, perge benedictum et exploraturum universa in nomine illius Domini, quem invocamus: « Tu dux ad astra et semita ». — Haec ille vir Lorenzelli insignis, verbis.

Nec quisquam diversa credere poterat coram instrumento, quod constat vigintiquatuor ingentibus tubis ex chalybis laminis, singulis dimidio et duabus metris protractis, diametro hiantibus metro et imidio. Duos habet crystallos obiectivos metro et cm, vigintiquinque patentes. Inititur validae basi ex muro et lapide dolato consecuae. Speculum exterius, quod coram obiectivo reflexum porrigit, mirabile est opus, in quod curvandum ad millesimum millimetrum adlaboratum est, atque inter

duodecim electum perfectissimum, eiusque pondus quatuor, uti diximus, nudo crystallo, chilogrammatum aequat millia. Machina magis visu intelligibilis, quam scripto explicabilis, totum sustinet, ac voluntati moventis obediens agit. Laudamus quidem ingens opus; at lunae imaginem proximam nondum accepimus. Siqua autem danda erit, ego sic deduco. Luna a nobis abest 384 000 chilometr. Haec autem per 10 000 divisa, distantia, dat proximam lunam haud aliter, ac si 38 chilometr. et 400 metr. abesse. At quid de hoc haec? Certe ad me nihil *Astronomie de France*, eadem *de Bruxelles*, *Astrophilus Mediolanensis* et reliquae doctae ephemerides retulerunt. Qui viri, quot viri, quoties, quando interspexerunt?

« Rari nantes in gurgite vasto »; breviora quaedam nec tria ultra, aut quatuor, compendia, quoad nebulosas quasdam, ab Antoniadio de Jurisy, qui siderostato usus est, perspectas accepimus; verum haec nihil novi astronomicarum rerum cumulo addiderunt. Atque inde col-



Peristylium vulgo "dei Lanzi," Florentiae, cum Persei signo a Benvenuto Cellini composito.

(Photographice expresserunt Fr. Alinari - Florentiae).

ligitur, quod quidem iam inde aut cognitum aut coniectatum, vim, virtutem, potentialitatem quamlibet telescopii cuiusvis quoad interstellaria spatia, puta « Nubes Magellani », ad hilum reducendam floccumque, quippe sumus coram intervallis, quae metiri non possumus, omnemque humanae mentis captum longe praeverunt. Est infinitum quoddam non re sed specie, non in se sed proportione habita in prospictem, qui habetur instar monadis, et quasi atomus coram creatis omnibus in unum congestis. Sed haec alio pertinent, fortasse Urania musa prosequenda mihi, ubi tempus adfuerit; nunc de siderostato prosequar, eo quidem animo ut ego, Vieilloti mi, te provocem ad disserendum atque ostendendum quod ipse et exspecto et postulo; nihil enim animo gravius meo quam ignorare, aut vix in parte cognoscere.

Quoad ea tamen, quae mihi sunt, noto immobilitatem tubi a mobilitate speculi rependi non posse, ac proinde, non ad omnia vestiganda circumferri. Quod si, uti in votis est meis, omniumque, immane instrumentum istud ab immobilitate sua ita mobile fiat, ut « aequatorialem » telescopium sit (ut oratione lexicu), multa timeo adversa conantibus. Pondus enim quinquaginta milium chilogrammatum credendum est fundamentis, quae inclinato pondere quaquaversus divelli aut convelli non possint, et muniendum est fulcris obliqui ponderi, motuique aequis. At quoniam statuetur in loco? Quum enim sexaginta per metra producatur et in altitudinem, et in circuitum, fastigiata et concava camera, tali demum fornice uti debet, cui sint altitudo ex octoginta metris, diatrum in basi septuaginta metrorum. Vaticanum portentum, et Pantheon dimidio minora erunt fornice huiusmodi; haec enim inter quadraginta et duo metra ac trigesima centimetra sunt. Quid autem de muris, quae tanta superimponenda moles, retenta Bonarrotii et Bramantis lege 42:71::70:118?... Novamne hanc Babilonicam turrim astronomicae speculae addemus, et superimponemus parallelepipedum, vel quadratum ingens, gigantae viribus formidandum, saeculorum opus ut caementa coalesceant? Quod si consentientes instrumento esse velimus, dignum tanto instrumento montem, super quo statuendum sit, aedamus. Sufficient celebrati Alpes, Albus Mons, aut in Hymalaia Everest, et Gaurisancar, et Canciniungas?

23]

LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE

III.

Tentaturi discipulorum doctrinam sedent in aula maxima municipalis aedis, praeter eos quos novimus, insignes alii viri, quos inter Nandus Cerbariensis, Graecorum longe doctissimus. Medium locum honoris causa Trebatius obtinet, impletisque subsellum non minus aura famae, quam dudum sibi peperit, quam pingui omaso, quo tenditur. Adstat conferta iuvenum turba vociferantium submissio murmure, quorum alii indice digito mutuo sibi monstrant novas iudicium facies; alii vix risum compescunt; pauci sortem periculi timent.

Hora ix ante meridiem, indicto silentio, praeses assurgit, et petita venia a Trebatio: — Quoniam — inquit — externi collegii, cui nomen *Cato maior*, quidam alumni hue migrarunt ut exercitationis gratia periculum facerent, quos gravioribus distentos curis morari diutius non licet, pace vestra, quotquot estis domestici adolescentes, ii primi se sistent probandi doctoribus super graecis et latinis litteris. — Mox aula resonat nomine Vinnii Asellae.

Procedit adolescens statura procera, circumseptis oculis cristallo subnigro, obstructis auribus gossypio, pendulam ante pectus phialam crebro naribus admovens ac subinde pollice obturans; credo, ne odor sapientiae evanesceret.

Cui Nandus: — Interpretaris — inquit — Iliadis locum de Priami precibus rogantis Achillem, qui locus est in lib. XXIV.

Diu conticuit adolescens, capite obstipo, donec ei doctor: — Num qui nummi tibi excederunt, quod sic terram obtueris?

Scio vocem « impossible » in gallicis vocibus non reperi; scio vos ausu quovis esse maiores; scio te doctrina praestare, et nonnulli commune mecum habere; qui enim erronem te fateris perpetuum, et emendationis expertem, dignus Rovittio crederis,

Qui multos homines, multorum vidit et urbes;
at quae abs te peto aut vestros inter ausus sunt, aut intra sapientiam tuam.

Cerchiara in Calabris, xi kal. Decembres mcm.

FORMICARUM VIVENDI RATIO

MICROSCOPIO PERSPECTA

*Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Quum populant, biemis memores, tectoque reponunt;
It nigrum campis agmen, praedamque per herbas
Convectant calle angusto: pars grandia tridunt
Obnixae frumenta humeris, pars agmina cogunt,
Castigantque moras; operae omnis semita servet (1).*

FORMICAE, ut ex hisce Vergili versibus atque ex sexcentis aliis scriptorum locis elucet, maxime providae, alacres, disciplinatae, assidui patientes laboris otioque insciea omnium consensu semper habitae sunt. Sed quum hae bestiolae peregrino sint statu, difficillimum est earum mores vivendique rationem ac modum nudis oculis accipere atque perspicere. Nostra tamen aetate mirificus formicarum instinctus plene perfecteque patuit ope instrumenti, quod crystallis minima perspicit, quodque graeco vocabulo « microscopium » appellatur.

Spectaculum admiratione maxime dignum nobis praebetur ex sollertia bus istis bestiolis quum subterraneam sibi effodiunt domum, in qua architectorum doctrinam in usum deductam passim videre est. Ac primum formicarum domum insipientibus oculis quoddam patet vestibulum, ex quo fit gradus ad

(1) *Aeneid.* lib. IV.

At ille tandem erecta cervice: — Ego non studeo.
Nand. — Macte, adolescens; ne unam certe peccasti syllabam. Sed, qui non studes?

Exspectanti frustra responsum significavit praeses, V. Assellam, non ratione studiorum, sed statura causa fuisse adjunctum alumnis secundi ordinis lycæ; ceterum litterarum cursum iam triennio absolvisse, quo maturius in graviores disciplinas incumberet.

Cui Nandus: — Circumspice, praeses, sitne forte in isto grege ovis aliqua, quacum hic primogenitus committetur (1).

Praes. — Accedit Probatius et latine vertat Homeri locum.

Haud moratus imperium adolescens complures versus, nec impolite redditos, uno spiritu recitat, Trebatio ac Mucio interdum demirantibus: — Quam confidenter loquitur! sapit hic pleno pectore. — Verum o mortalium vanam spem fragilemque fortunam! Dum anxiò juveni remigrat animus mentisque pavidae gaudium iam lacrimas habet, quas metus abegerat, importunus ille Nandus compotiti tam bene aedifici tectum omne tegulaseque destruxit. — Atque, ut sciām — inquit — qua pronuntiatione utaris, quae latine interpretatus es graece legas.

Ad haec excidit misero omnis constantia. Perfusus ergo rubore manifesto propiores condiscipulos limis oculis intueri, eorum voces aucupari si quid forte suggererent; tergiversari, haerere, excusare se quod oculos vitro minutis minutis illæ litterulae fugerent.

Nand. — Scilicet graecum est, legi non potest.

Prob. — Parvi refert, graece legam nec ne, dum interpretari latine sciām, praeassertim quum legitimum sonum graeci sermonis haud probe calleam; qua de re magna inter doctos quaestio agitatur.

(1) *Exod.* XIII, 13: « Primogenitum asini mutabis ove ».

vastum cubiculum ad multa alia viam sternens. Tectum pilis seu stelis innititur plerumque rotundis atque ad amussim tum magnitudine tum robore respondentibus ponderi, quod sustinent. In limine vestibuli excubias indesinenter agit formica, quae ingredientibus vel excentibus comitibus, qui militum mos est, dat salutem. Primum autem incolunt cubiculum principes quaedam formicae, quae peculiari vivendi ratione reginae et habentur et appellantur: laboris hæc ac sollicitudinis plane expertes, otio tabescunt, ac cibo vescuntur ab aliis comparato. Earum tantummodo est ova deponere, quae ceteris comitibus ad id designatis continuo curanda relinquunt. Ova saepe saepius circumvolvuntur atque humectantur, ut vitale foveatur germen in lumine prodeat: quum autem ipsa fiunt larvae, quod longiore vel breviore temporis accidente spatio pro anni tempestibus, incredibile dictu est quot quantisque curis eas nutriculae prosequantur formicae, quae a suo munere permagna cum diligentia fungendo nunquam desistunt, quum ipsis victus a plurimis aliis comparetur comitibus, hac illac indesinenter vagantibus ad grana, semina ac cetera id genus quaeritanda atque in foveam congerenda.

Sed aliquo post tempore larvae bombycinum, ut ita dicam, sibi exstruunt folliculum, atque chrysallides evadunt, quae postea fiunt formicae.

Notandum has bestiolas, quae tam exigua sunt statura, immani vi esse praeditas, adeo ut argenteum Italorum nummum, qui aequat virtute semis libellam, ore facile transferant: id idem esset, ac si homo pondus decem millium chilogrammatum dentibus extolleret.

Formicae, ut cetera animalia, varii sunt generis: praeter nigras otio indulgenti atque rixandi minime cupidas, rubrae sunt, quae, a labore alienae, vi nigris potiuntur comitibus, easque in servitatem redigunt, ita ut miserae bestiolae cibum victricibus

Nand. — De legendō quaero, non de modo legendi.

Prob. — Atqui seiungi modus re in legendō nequam potest. Nam si legas, aliquo modo legas necesse est.

Nand. — Quoniam satis mihi videris esse philosophus, legendi tibi ius esto quomodo libet.

Prob. — Non sum romanus civis, penes quos est, non solum « et ius et norma loquendi », sed etiam pronuntiandi. Ita enim certe de latina pronuntiatione disputantes audivi quosdam, qui eam item triduo se diremisse gloriantur.

Nand. — Barbare legit, modo aliquid legas.

Prob. — Hoc vero indecorum est, nec patiar ego violari aures vestras teretes ac religiosas.

Nand. — Qui vocaris?

Prob. — Probatus.

Nand. — Unde ductum hoc nomen?

Prob. — E sacro fonte.

Nand. — Quaero qua ex lingua.

Prob. — Ex lingua matris.

Nand. — O felicem vere matrem tuam, quae talem te peperit! Tuus autem curio miser si non alias oves habet...

Prob. — Habet ova per dies solemnes Christi resurgentis.

Nand. — Euge, fili; serva te dignum tuo nomine, quod est graece προβάτος, id est ovis.

Prob. — Ego vero sic existimo, Probatii nomen aut latinum esse a probando, aut iudaicum, a...

Nand. — Nempe a dura cervice. Nunc vero, Probatii, satis mihi collegioque doctorum probatus es. Abi.

Discedentem clamor plaususque contubernialium est prosequutus, gratulantium quod omnia bene prosperecessissent. Tantulo impendio ingens Victoria stetit.

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

comparare
etiam repe
colore obsi
maiore vi p
accommoda
devoret ho

Silentio
hae bestiola
tur, suosque
motu anten
runt in fro
quatiunt, co

ut dextrors
motus ex a
tervallo iter
euntibus via
lunt ac ret
impetu exte
men lacesse
leviter agun
tibus dicunt
si ita loqui f
negligunt.

Hactenus
debentur stu
toris Henrici
tefacienda p
gentia circite
Palatio ex cry
variasque vi
tinue praepo
adeo ut, qua
perfecteque

██████████

CUINAM

QUO

Vox illa s
rumque impro
alterius ponitu
Hirci locum
locum iudicen
uti in Tacito
quid sentiat, I
non enim Cale
Forcellinianis v
adversarium c
una cosa in luog
Testamentum
metterlo in luog
passare altri pe
crimina subde
maestà (7); Su
ad arte una fa

(1) Cfr. nu
(2) Ep. ad

(3) In orat.

(4) Id est:

prio, commutare

(5) I. e.: F
huius hoc falsu

(6) I. e.: L
accusatione, pur

(7) I. e.: L
calumnioso infer

(8) I. e.: E
tus: Subdere pu
i. e. pone e fili
alienam heredita
ditus index, giu

comparare atque inservire crudeliter adigantur. Alias etiam reperies minore statu et nigerrimo infectas colore obsitasque lanugine; hoc genus formicarum maiore vi praeditum, ac suapte natura ad bellandum accommodatum, tanta est animi asperitate, ut victos devoret hostes.

Silento hic praetereunda non sunt signa, quibus hae bestiolae se se invicem quadammodo alloquuntur, suosque sibi patefaciunt sensus. Id vario efficiunt motu antennarum, quas omnis generis formicæ gerunt in fronte: quum enim eas hinc inde leviter quatiant, comitem sibi obviam euntem admonent, ut dextrorum gradum faciat. Celer antennarum motus ex alto in imum, celerrimoque temporis intervallo iteratus admonitio habetur, ut patefiat trans-euntibus via: sin rapide antennas formicæ impellunt ac retrahunt, easque bis erigunt atque cum impetu exemplo deprimunt, adversarias ad certamen lassere censentur. Quum denique antennas leviter agunt, salutem comitibus sibi obviam venientibus dicunt formicæ, quae huic comitatis praecepto, si ita loqui fas est, nulla unquam causa satisfacere negligunt.

Hactenus de formicis dicta diurnis assiduisque debentur studiis Britanni rerum naturae investigatoris Henrici Burns, qui, quo ulterius in isthaec patefacienda progrederetur arcana, postquam quingenta circiter harum bestiarum millia Londini in Palatio ex crystallo collegit, earum vivendi rationem, variasque vicissitudines summa cum diligentia continue praepotenti inspexit perspectusque microscopio, adeo ut, quae antea obscura vel ignota essent, plene perfecteque in lucem prodirent.

HERSILUS.

CUINAM URBIS INCENDIUM TRIBUENDUM QUOD NERONIANUM DICITUR⁽¹⁾

III.

Vox illa *subdere* Romani iuris usu consecrata est, ut substitutionem significaret, nempe: « actionem, plerumque improbam, contra legem, qua alius loco, pro, vice alterius ponitur ». Quapropter Tullius (2): « Te rogo in Hircii locum *subdas* », et iterum (3): « Quis in meum locum iudicem *subdidit*? ». At ne quis dicat nos Cicerone uti in Tacito interpretando, en Tacitus ipse de hac voce quid sentiat, Rigutinio teste ac docente in suo *Lexico*; non enim Calepino illo veteri, neque Taurinensibus, neque Forcellinianis voluminibus, quasi totidem rupibus, volumus adversarium opprimere: « *Sub-dō... || sōstituire, mettere una cosa in luogo di altra, scambiarla, ma con frode e danno* » (4). Testamentum *subdere* (Tacit.) falsificare un testamento e metterlo in luogo del vero (5); *Subdere* reos (Tacit.) far passare altri per rei, falsamente accusandoli (6). || Maiestatis crima *subdere* (Tacit.) fingere, inventare accuse di lesa maestà (7); Subdito rumore (Tacit.) sparsa, fatta correre ad arte una falsa voce » (8).

(1) Cfr. num. sup.

(2) Ep. ad *Familiares*, lib. X, 21.

(3) In orat. *Pro domo sua*.

(4) Id est: substituere, ponere rem in loco alterius rei proprio, commutare, sed fraude ac damno.

(5) I. e.: Falsum testamentum condere et, vero ablato, loco huius hoc falsum ponere.

(6) I. e.: Ita facere, ut qui rei non sunt quasi rei, falsa accusatione, puniantur.

(7) I. e.: Laesae maiestatis crima in aliquem excogitata calunniose inferre.

(8) I. e.: Edita et vulgata falsa voce, notitia, etc. – Sic PLAUTUS: *Subdere puerum; mettere un figliuolo in luogo di un altro*, i. e. ponere filium Titii in locum filii Caïi, ut hoc dolo aut alienam hereditatem occupet aut propriam amittat. – FESTUS: *Subditus iudex, giudice posto in luogo di un altro*, i. e. substitutus

Iam igitur ex explicata significatione, vi et sententia verbi huius *subdere*, patet Christianos incendii non fuisse reos, quia Tacitus ostendit illos, in locum veri rei, immisso, verorumque reorum; quae sitissimum poenis, et infamiae teterrimæ datos gratis fuisse.

At quid sibi vult Tacitus, quid innuit addens, dum ait: « Quae sitissimum poenis afficit, quos per *flagitia* invisos, vulgus Christianos appellabat? Aliud est in odium populi cedisse scelere, aliud, et iterum longe aliud, cedisse flagitiis. *Flagitium* enim, ipso rursum teste Tacito, indicat non scelus, non facinus, non quid saevum, sed quod, vel absque scelere, turpe sit potius opinione hominum, quam natura rei. Hie enim sic docet (1): « Proditores et transfugas arboribus (Germani) suspendunt: ignavos, et imbelles, et corpte infames coeno ac palude, inecta insuper cruce, mergunt. Diversitas supplicii illud respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, *flagitia* abscondi ». Itemque Terentius (2): « Nonne id *flagitium* est te aliis consilium dare, tibi ipsi non posse auxiliarier? » Clare ostenditur hic *flagitium* non esse loco sceleris positum, sed in significatione verecundiae, ruboris, pudoris; italicice: *vergogna*. Nec abest Cicero (3): « Qui praeesse agro colendo *flagitium* putas, profecto illum Attilum hominem turpissimum iudicares ».

Vides hic, iterum Tacito teste, Christianos incidisse non in odium, sed potius in contemptum vulgi, et quasi moleste habitos propter ea, quae tunc temporis erant et omnium sermone percrebrescant; nam et cum Iudeis unum idemque duecabant, quos munditie nunquam celebres fuisse scimus, et ex iis, quae tunc etiam apparebant, quia Christiani nec balnea, neque ornamenta vestium, neque luxum, neque odores præferabant. Unde et illud Taciti de Pomponia Graecina, « insigni femina, Plautio nupta ac superstitionis externae rea, mariti iudicio permissa. Isque prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque coniugis cognovit, et insontem nunciavit. Longa huic Pomponiae aetas, et continua tristitia fuit. Nam post Iuliam Drusi filiam, dolo Messalinae interfectam, per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi moesto egit ».

At quid si « invisos » dicas quasi « odio habitos », si « flagitia » interpretatus quasi « sceleris » fueris? Scilicet, odio humani generis, teste Tacito, convicti postea sunt! Ego non miror idololatras in hanc venisse sententiam, apud quos Christiani de nocturnis infandis epulis, quos etiam contingere nefas fuisse, accusabantur, quasi scissis et concisis infantium carnibus farina oblitis religione vescerentur. Quae quidem, praeter ea, quae debentur haereticis Cerinthianis, Ebionitibus, Magisque illius temporis, ex *Apologeticis* Tertulliani, Iustini, itemque ex *Octavio* Minucii Felicis hactenus cuique manifesta sunt. Ecquid enim idololatra cogitare poterat in Evangelio legens (4): « Si quis veniat ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus? »

Haec ubi recordatus fueris, patebit quid indicet historicus dum prosequitur: « Ergo abolendo rumor Nero subdidit reos, et quae sitissimum poenis adfecit, quos per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius *Christus*, Tiberio imperante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. Repressaque in praesens (id est: illico per supplicium Christi), exitibilis superstitione rursus erumpet, non modo per Iudeam, originem eius mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocias, aut pudenda confluent, celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur » – at si incendii crimen fateri non poterant, cuius expertes eos Tacitus ipse testatur, dum Neronem indicat auctorem incendi, nihil fateri poterant praeterquam se esse Christianos – « deinde indicio eorum multitudine ingens, haud iudici iudex; – TERENTIUS: Subditus partus, *parto supposto*, i. e. partus fictus, simulatus, ita ut ille filius habeatur, qui filius non est; etc. »

(1) TACIT. *Germania*, 12.

(2) *Heautontimorumenos*, v. 1, 49.

(3) Orat. *pro Sexto Roscio*, § 18.

(4) *Luc.* XIV, 26.

perinde (1) in criminis incendii, quam odio humani generis convicti (alibi: coniuncti) sunt ».

Accedit nunc non exiguum calumniam caput; ostendemus enim ex falsa et infideli interpretatione adverbiorum « haud perinde... quam », italicice reddit: *tanto, quanto*, rem integrum a veritate fuisse divulgat.

Nos autem, adverbia illa, ipso Tacito duce ac demonstrante, ostendemus, idem ac « subdo » male declarata fuisse. Non autem selectis ex Cicerone et Livio exemplis late collectis id facere volumus, quia cuique scriptori est sua « patavinitas », iuxta quam stilius a stilo differt, prout vultus a vultu, et sonus vocis a sono, quibus ab homine homo distinguitur. Neque id mirum, cum id quisque experiri possit pro lubito si Florum cum Tacito, Livium cum Cornelio conferat, cum Vergilio et Catullo et Tibullo Horatium canentem hexametris, aut Ovidium Nasonem; stilius enim est quaedam dicendi scribendique ratio propriae uniuscuiusque indoli consona, cultu, saeculo, disciplina, consuetudine, litteris temperata.

Huc autem ille Taciti locus, quem vel ante re tulimus, ad commodum legentium, est revocandus: « Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudine ingens, haud perinde in criminis incendii, quam odio humani generis convicti (coniuncti) sunt ».

Hoc adverbio Tacitus utitur prout numero ex proximoribus XV° libris:

a) « Attamen (Cassius), quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercitare legiones, cura, provisus, perinde agere, ac si hostis ingrueret » (2). Vides hic « perinde » adhiberi non ad exprimendum « quantum », sed: « similiter », « iuxta », « quoad omnia et singula ».

b) « Haec, quamquam a duobus Ostorio Didioque propraetoribus plures per annos gesta, coniunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent » (3). Hic pariter vides « perinde » illud in significationem eamdem « similiter », et « iuxta », et « eo loco », et « eodem modo » redire, et reddere pariter: « quoad omnia et singula ».

c) « Spectaret populus hunc (Neronem) decore imperatorio, illum (Britannicum) puerili habitu; ac perinde fortunam utriusque praesumeret » (4). Vel hic « perinde » illud, est in significatione « similiter », « iuxta », et « ex hoc », et « quoad omnia et singula » pariter.

d) « At Agrippinae is favor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuisse, ac sororem Britannici Octaviam, constiterit » (5). Neque hic « perinde » aliud valere, praeter « eo loco », et « similiter », et « quoad omnia et singula » vides.

e) « Non miror (Agrippina) inquit Silanam, nunquam edito parti, matrum affectus ignotos habere. Neque enim perinde a parentibus liberi, quam ab impudica adulteri mutantur » (6). Habes hoc, lector, in loco sermocinandi et scribendi modum a Tacito parem et ad unguem; idem quippe est ac si scripsisset: « Etenim haud perinde a parentibus liberi, quam ab impudica adulteri mutantur ». Ecquis autem « perinde » aliud ostendere posse speret, quani « similiter », vel « iuxta », vel « quoad omnia et singula » tantummodo?

f) « Neque servorum quisquam, neque clientium Sulal agnitus; maximeque despacta, et nullius ausi capax natura eius, a criminis abhorrebat; perinde tamen, (Sulla) quasi convictus esset, cedere patria, et Massiliensem moenibus coerceri iubetur » (7). Atque hic etiam « perinde » unice: « similiter », vel « iuxta », vel « quoad omnia et singula » praebet.

g) « Cetera per omnes imperii partes perinde egredia, quasi non Nero, sed Thrasea regimen eorum tenueret » (8). « Perinde » istud nihil offert legenti extra gen-

(1) Et ipse Pascalius in opusculo suo (pag. 17, n.) et aliquis ex contra dicentibus memorant haberet et « perinde », et « proinde », Pascali placuit « perinde », et equidem; nam « proinde », etsi catenis traheretur, in optatam sententiam nunquam venisset; quippe huic certa sexcentis ex locis significatio compar « ceterum », « atque ideo » et similia (italicice *del resto, peraltro, quindi, perciò*, etc.).

(2) Ann. lib. XII, cap. 12. (3) Ibid. cap. 40. (4) Ibid. cap. 41. (5) Ann. lib. XIII, cap. 16. (6) Ibid. cap. 21.

(7) Ibid. cap. 67. (8) Ibid. cap. 69.

minum « similiter », aut « eo loco », etc. cui respondeat « quasi », « veluti », « prout ».

b) « Tum primum revocata ea lex (maiestatis); credebaturque haud perinde exitium Antistio, quam imperatori (Neroni) gloriam quaeri, ut condemnatus a Senatu, intercessione tribunicia, morti eximeretur » (1). Quid leges, si Tacito velis haberi consentiens, praeter hoc unum: « Credebatur, ea revocatione, non quaeri per singula et omnia exitium Antistio, sed Neroni gloriam »? Condicta quippe iam erant quae Ostorius audivisse negaret, quae Thrasea multo cum honore Caesaris, acerrime increpito Antistio accusatore, diceret. « Tam », seu « tantum », licet dare, ridiculum sit; ideoque unicus huic « perinde » sensus est: « similiter », « hoc modo », « hac industria », « arte », « per haec omnia ».

i) « Plauto parari necem non perinde occultum fuit, quia pluribus salus eius curabatur » (2). Vel huic « perinde » subdens vocabulum « tantum », non poteris interpretari, sed unice: « eodem modo », « pariter », « per haec omnia »; sin risum ex legentibus, aut audientibus ciebis, ac tota cantaberis Urbe.

j) « Decernaturque et maneat provincialibus, potentiam suam tali modo ostentandi: sed laus falsa, et precipibus expressa, perinde cohibeantur (*alibi*: cohibeatur), quam malitia, quam crudelitas » (3). Tantummodo vel hic « perinde » sonat: « similiter », « haud aliter », « eodem modo quo », et huiusmodi Ubi ergo celeberrimum illud: « tantum »?

m) « Ipse (Nero) quo fidem adquireret, nihil usquam perinde laetum sibi (praedicare), publicis locis struere convivia, totaque Urbe quasi domo uti » (4). « Perinde » hoc in loco adhibetur eadem significatio ac « similiter », « eodem modo », « per omnia », etc. « Tantum » illud longe abest.

n) « Ceterum Nero usus est patriae ruinis, exstruxit domum, in qua haud perinde gemmae et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna, et in modum solitudinum hinc silvae, inde aperta spatha et prospectus » (5). Si « perinde » hoc interpretatus fueris « tantum », pugnabis cum additis: « solita pridem et luxu vulgata », quae proinde comparationem prorsus expellunt; idcirco unice pedestri sermone dices: « in qua non gemmae, non aurum miraculo essent; obsoleta haec; sed arva, sed stagna, etc. ». Vides hic igitur adverbio « perinde » usum fuisse Tacitum non ad comparisonem, sed ad exclusionem comparationis omnino, more rituque loci illius, quem superius e libro XIV, cap. 48, deproprompsimus et apposuimus.

o) « Erant tamen qui crederent veterem illam (Urbis) formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur » (6). « Perinde » etiam hic habetur non comparativa ratione et vi, sed unice: « omnino », « quoad omnia », « eodem modo », quo nunc. Idque patet ex iis, quibus illico Tacitus prosequitur addens: « At nunc patulam latitudinem, et nulla umbra defensam, graviore aestu ardescere ».

Ista itaque redditus, ut quod sit in Tacito, quidque ferat vox illa « perinde » Tacitus ipse doceret, abnormem Taciti interpretationem ad germanum sermonem, prout est interpretanda, Tacito iubente, portamus; at repugnantia rei, Tacitoque dicimus verba, quae addere sua Minerva et lubito vult Pascalius dum scribit quae nunquam Tacitus edidit. Igitur primo correpti qui fatebantur... « se esse auctores incendi »? Non aedepol! scribe: « se esse Christianos »; haud enim licebat iis mendacium dicere, quo se Christianos esse negarent, ut saeva quaeque uno verbo vitarent. Qui igitur non mentiebantur ut incolumes essent, mentiti essent quoad crimen incendi, ut quaevisimis poenis afficerentur?...

G. P.

(1) Lib. XIV, cap. 48. (2) Ibid. cap. 58. (3) Lib. XV, cap. 21. (4) Ibid. cap. 37. (5) Ibid. cap. 42. (6) Ibid. cap. 43.

Nihil ex semet natura creavit
Pectore amicitiae maius, nec rarius unquam.

(MANILIUS, Astron. lib. 2).

ANNALES

Krüger praeses in Galliam appulsus - Bellum ad Transvaal - Sinenses res - Iberiae atque Latinae Americae Madritensis conventus.

M ASSILIENSES, qui Krüger praesidem tanta expectatione manebant, eum tandem suo in portu exceperunt. Feriae equidem publico ritu non celebratae, immo a reipublicae magistratibus cautum, ne adclamandi praesidis specie, in Anglorum offensionem popularium aestus forte prorumperet. Sed spontanea civium cuiusque ordinis ad portum frequentia, diuturna tantae multitudinis ovatio, ipsiusque praesidis verba, temperata sane, sed firma, sed intrepida, sed inconcussa divinae iustitiae spe fulta memorabilem eius adventus diem semper efficient. Quidquid enim extrema fata Boerorum armis et fortunae paraverint, indebet tamen, ut Boyer, Massiliensem curio, ait, tantae virtutis et constantiae manebit historiae monumentum, ut doceat nepotes et posteros quam gravem pretio libertas et vita popularum delectantur.

Interea Boerorum duces et tribuni ubicumque per suae patriae montana loca praelia committunt, advectionibus pugnant, bellum instaurant. Qua quidem assidua fortitudine id prope factum audimus, ut populi multi meridionalem Africam incolentes, heic vel illic ad arma iterum contra victores Anglos confugiant. Botha dux novum reipublicae moderandae centrum Rosenkraul ad oppidum constituit, quo et Schalk-Burger, alter a Transvaaliano praeside vir, cucurrit: Delarey autem ad Vryburg loca, Erasmus ad Olifant flumen pugnat.

*

Pariter nec Sinensium publicis negotiationibus, neque bellicis oppugnationibus ulla finis. Italorum Germanorumque sociatum agmen praeter celebrissimum illum maximum imperii murum Calgan versus in hostes profectum est. Itineri frigus atrox asperaque montium, potiusquam inimicae copiae adversantur; quos enim bis mille numero ad Huai-lang socii viderunt hostes, eosdem, nulla pugna, aufugisse militari sunt. Quamobrem suspicantur duces in magnum forte exercitum sese incidere posse, qui imperiale refugium versus, viam sibi praepedit. Navaliter pariter per flumina instruuntur praesidia, hibernia plerique exercitus parant; dum Voltier, Gallorum navium praefectus, navigia sua per litora omnia ex Tonchinenibus finibus ad Ce-su portum disperdit, ut Gallos cives eorumque res valido ubicumque citoque praesidio tueatur.

*

Solemne postremis his diebus pariterque iucundissimum nobis latino sanguine ortis Madriti fuit cuiusque latinae Americanae gentis legatos convenisse: eoque magis quod recentissimi seditionis tumultus longe alia fata polliciti fuerant. Mexicanani praecipue legati fusas orationes habuerunt, ut populos illos omnes, ibero et latino semine fratres, abiectis tandem animorum similitatibus, discordiis, seditionibus, quibus male hactenus civilibus armis sese extenuarunt, concordes pactiones inirent, iunctisque animis, viribus, divitiis, sua bona augerent, ceterorum opera aemularentur, venturis fatis, dum tempus est, prospicerent. Adstiterunt coetui apostolicus ipse ad Iberos legatus, atque Azcarraga dux, qui Iberis administris praesest, et Campos, qui eorum res ad exterios moderatur. Incoepsum copiosae utilitatis frugiferum laeto animo ominamur.

POPULICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS

In Anglia in gubernium adlecti Cranborne, ut alter ab exterarum rerum administro sit, Gerard Balfour, ut commerciis praesit; Austin Chamberlain, ut aerario administrando primus a secretis adlaboret.

In Gallia Caillaux, qui aerario praesest, de administrando publico aere fusam habuit orationem. Rogatio de novo vectigali hereditatibus imponendo a comitiis popularium probata est.

In Germania Ballestre ut popularibus oratoribus praesit electus est, et de Sinensis belli expensis vehemens disceptatio habita.

In Italia novae sessionis comitia iterum inita sunt die elapsi mensis Novembris vigesimateria.

SCRIBA.

AENIGMATA

I.

Arbor inest hortis, rara atque coloribus impar. Inverte: Hyblaeae tribuent sua dona volucres.

II.

Numen iamque fui; cultu inque meo metus ipse Nempe aberatque aderam navibus ac domibus. Adde notas, vae, tres: horrebit nocte timore, Quisquis nos videt, heu! Nec simulacra sumus.

A. E. DE DRUFFEL.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

M. TULLII CICERONIS
ORATIO PRO T. A. MILONE
Curante A. CINQUINI.

Aenigmata a. III, n. XVIII proposita his respondent:

1) Sol-amen. 2) Cassis

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Th. Laureri; Fr. Torijano; Fr. Xav. Reuss, Roma - I. A. Schneider, Monachio - A. Chevénement, Nods - P. A. Crivelli, Ancisa - Ioannes Mediolanensis - Ios. Wabner, Varsavia - Vinc. Lakatos Keszhely - H. Hemsler, Basilea - Ioan. Sedlik, Praga Bohem. - Aug. Narquet, Monteloco - Th. Vinas S. P., Tarrega - Gui. Schenz, Ratisbona - Aug. Zaboglio, Novocomo - I. Krajewski, Kielciis - R. Gennardi, ex ephelio Epise. Iaciensi - Herm. Gini, Taurini Aquis - Ioan. Cantono Ceva marchio, Ronco ad Bugellam - D. Le Provost, Briocen - A. Schneider, Turico - Collegium S. I. St. Andreae - Fr. Crouzillac, Iparnaco - A. Paul, Berlad - I. Samoreck, Lublino - I. Asprenas Rocco, Casarea - Rug. Pancaro, Consentia Brut. - I. Sernatinger, Dresden - Petr. Garrone, Pezzana ad Vercellas - A. Piootti, Malado ad Vicentiam - M. Vidal, Palma in ins. Maiorica - Hect. Landi, Turrita - Ios. Wilhelm, Battle - P. Aloisius a Tabia, Praeneuste - I. Szymajtis, Opitoloki in Lituania - Am. Robert, Mariaville in Canada - G. Langenberg; I. Schmitz; Collegium Borromaeum, Monasterio Guestph. - Ios. Crosatti, Poiana ad Veronam - Abr. Morchio, Genua - Car. Stegmüller, Sabaria - I. Rokosny, Sandomiria - G. R. e scholis Caritatis Cavanis, Tenetis - Aug. Roberge; Ios. C. A. Tr. de Lespinay, Chicot in Canada - St. F. Figielksi, Rypino - Alois. Rainieri, Bergamo - Hild. Guepin, S. Dominico de Silos ad Burgos - C. Perazzi, Mengalore in Indis - Val. Baldissera, Glemona - Ign. Aguilar, Morelia in Mexicano rep. - Vict. Hoffmann, Posen - Fr. Perényi, Isbereny - Alois. Cappelli, Senis - Ver. Cariolato, Vicentia - Ios. Lemette, Rumillies - Fr. Sallard, Sabadello - Cesl. Sokolowski, Petropolis - Ad. Huza, Grybowio.

Sortitus est praemium

C. PERAZZI,

ad quem missum est opus, cui titulus:

LES CHINOIS CHEZ EUX

par I. B. AUBRY.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

Cranborne, ut alter
sit, Gerard Balfour,
Plain, ut aerario ad-
dicit.

praecest, de adminis-
trationem. Rogatio de
o a comitiis popu-
laribus oratoribus
expensis vehemens

praerat, ut popu-
renunciatus.
iterum inita sunt
tertia.

SCRIBA.

oloribus impar.
dona volvres.

meo metus ipse
ibus ac domibus.
nocte timore,
simulacra sumus.

DE DRUFFEL.

natis interpre-
tatem miserint
gratis accipiet

a his respondent:
assis

o; Fr. Xav. Reuss,
hevenement, Nods -
ensis - Ios. Wabner,
Hemsler, Basilea -
et, Monteloco - Th.
ona - Aug. Zaboglio,
enardi, ex ephbebo
nis - Ioan. Cantono
Provost, Briocen -
treae - Fr. Crouzillac,
ubline - I. Asprenas
rut. - I. Sernatinger,
cellas - A. Piotti,
ns. Maiorica - Hect.
oisius a Tabia, Prae-
- Am. Robert, Ma-
chmitz; Collegium
Crosatti, Poiano ad
egmüller, Sabaria -
Caritatis Cavanis,
Lespinay, Chicot in
Bergamo - Hild.
Perazzi, Mengalore
Aguilar, Morella in
Terényi, Lasbereny -
stia - Ios. Lemette,
Pokołowski, Petro-

PER ORBEM

IOSEPHO Wabnero socio nostro humanissimo primas reddere gratias, sicuti et alias egit, ita et hodie in viae limine gaudeo, quod benevolentiam suam non tam lectura assidua, quam et provida saepē memoria pandat. Nuntiavit ille, quod carissimum lectoribus fore non dubitamus, his adamassum diebus Polonus cives suos maxime satagere, ut Henrico Sienkiewicz, scribendi artifici summo, suaque gentis gloriae nobilissimae, debita honoris munera persolvant. Appropinquarent enim quinquagesimo eius natalis anniversario, publico acre donum constituere et offerre tanto viro decreverunt. Velim tamen, ut cum feriae ad rem celebratae fuerint, de earum solemnitate et splendore amicus Wabnerius quam fusa nobis enaret, ut rursus eas lectoribus adponamus.



Feriantes autem splendidissime, postremis hinc diebus Lutetienses vidimus, qui immanem illam omnium artium recensionem, qua eis placuit novi saeculi limen insigne facere, occludendam abradendamque salutabant.

Proxima vero gaudia fletibus. Choassy-le-Roi et Baiona duo sunt loca vaporitraharam horrendis infortuniis funestata. Primum duas inter vaporitrahias occursu contigit, quarum alteri velociore cursu, alteri tardiore eodem in tramite discurrere opus erat. Temporis quadam mora interposita, factum est ut utraque simul, eundem in locum, adversis ex partibus concurreret. Ignis conflagrata ex machina erumpens, vorans excitavit incendium, atque e rudibus miserisque ruinis mortui viatores septem, vulnerati ad viginti fere collecti sunt.

Ad Dax, contra, civitatem, in Baionensis finibus, vaporitrahia in argine discurrens a tramitibus, nimia qua concitatatur celeritate, prosluit, inque inferiorem agrum magna ruina corruvit. Viatores tunc temporis in triclinario, ut ita dicam, curru plerumque congregati reficiendis viribus cibo intendebant. Coenam atra ruina suspendit, mortui in conquassatione permulti, quos inter Canavarro dux, Peruviana reipublicae legatus, qui ad Iberos profectus erat. Tot frequentia infotuniorum Berton, populi oratorem, commotum, rogationem laturum praedicant, ut eorum, qui cumque vaporitraharam ruina oppressi perierint, heredibus, collegia, quae harum curam habent, centum libellarum millibus culpae poenam persolvant.



Lugubria haec retulimus; numine laeta aliunde ex terrarum orbe nunciantur? Heu! Pestis ex Bremensi, ex Alexandrino, ex Bonearensi portu suis venenatis telis minitatur. Marina plerumque diro advehendo flagello via. Ad Bremam urbem in Marienburg navi, quae Rosario ex portu profecta fuerat, Kunze nauta iue corruptus occubuit; ad Bonearensim in Highland Prince, altera navi, ex Brasiliensis profecta oris, bini peste affecti homines aegrotabant. Verum contagii metum admotae statim circa corruptas naves et portus quae maxima possunt cautelae abigunt omnino. Lectores igitur monere est, ut quieto animo sint, coque praelestum quod praevalidum tetricimae luis auxilium timor recenseatur.



Arabica est fabella, non illepida sane, quae monitum confirmat. Princeps quidam ad Bagdad in suburbano deambulans in anum incidit livida consumptam macie, quae ad urbis moenia pro-

perabat. Huius pietate commotus, alteri suo ex comitatu princeps imperavit, ut subsidium vetulae offerret. Cui illa: — Auxiliis egeo nullis, at comitatem tuam velim praemio rependere.

— Quae es itaque? quo vadis? — princeps rogavit

— Pestis vocor, Bagdad versus fatis urgor.

— Num iter flectere, si placet, negabis?

— Nequeo; spondeo tamen me nonnisi decimationis ritu tuos in subditos percussuram.

Lues postero emersit die, sed parvo elapo tempore omnes incolas ea coripi princeps mirabatur, etsi non omnes morerentur. Cum moribus abiit dimidiataque plebs vix supererat, in reducem anum iterum princeps occurrit. — Abi in malam crucem! — imprecatus est statim; — hanec fidem servas?

— Immerito quereris — illa redarguit — ego enim vix decimum quemque ex tuis tetigi; ceterorum clades nihil me attinet, sed venefican aliam sagam me multo immittiorem. — Ecqua tamen? — Formido.

VIATOR.

VARIA

Quo perveniet electrides?

Quod maxime prohibebat homines adhuc quominus passim uterentur electride, erat in haud facili modo quo illam compararent, praeterea in gravi impendo si emerent, in machinis exstruendis si ipsi conficerent. Sex ahinc annis in hoc intendebat Edison Thomas ille Americanus, inquiens tunc multum progressurum humanum genus, cum ita in potestate sua haberet creationem electridis, ut illa eadem facilitate frui posset, qua in coquina ignis excitatur, qua frigida aqua efficitur calida. Quin etiam hoc sibi spondebat ut, nova hac virtute praeditae naves quatuor ad summum dies tererent in superando quidquid maris est inter Americam et Europam. Iamque hoc paene in factis, quod erat in votis; Edison quippe palam hoc novum faciet; iamque societas pecuniosorum conflata est, quae constructionem machinarum huiusmodi sibi unice faciundam vindicet. Hinc levii impendo lampadis unius, quam oleum domi alat, novis erit usus electridis in domibus, in officinis, ubique tum ad calorem, tum ad lucem. Haec autem machina simplex, parva, facile de loco ad locum portabilis, omnia tradet et afferet, quae nunc aegre maximo impendo, et maximis cum sollicitudinibus parantur.

*

Flammiferi ubi plurimi conficiantur.

Quae diaria de Ottawae incendio nuperrimo retulerit, maximam illo deletam flammarorum fabricam lamentantur; quotidie enim ex hisce trecenta et quinquaginta centena millia edere solebat. Rem proprius inquirentes comperimus maximam horum fabricam esse apud Suevos in oppido, cui nomen Tidalhom, in pago silvoso provinciae Skaraborg, tribus millibus hominum ac trecentis frequenti, qui fere omnes in hoc opus unice incumbunt. In ea quovis anno assumuntur sexenta millia pedum cubicorum ex ligno piceo, uti pinus et abies habentur, quae in frustula dissecantur. Quotidianus autem flammarorum inde numerus ad 200 000 000 est, qui annuus 613 000 000 est habendus arithmeticus. Electride commovente, tercentae machinae quotidie noningenta thecarum millia, ad continendos, conflant. Inscriptarum chartularum, quae singulis apponuntur thecis, pondus quolibet anno centum et viginti quatuor millium chilogrammatum pondera aequat; glutinis autem pondus, quo inscriptiunculae huiusmodi thecis adhaerent, inter duodeviginti chilogrammata est. Ingentes sane notae et numeri, de quibus tamen nemini fas est dubitare.

*

Loc. i.

Servus curiosus.

Martinus nobilissimi servus et familiaris viri principis, quocum adoleverat, talis erat, ut nihil domi clausum, nihil inexploratum illi esset; nam duplicitibus instructus clavibus, absente domino, absentibus aliis, per omnia libere pererrabat conclave, penetralia, et vel per ipsa scrinia et armaria divitis domus liberas versabat manus. Probus tamen ne obolum quidem surripuit unquam, contentus visendi et cognoscendi quae aliis abdita, impervia, et dominis nota solummodo. At olim, quum vino calescens fidem suam seque senum more laudaret, coram conservis arcana sua patefecit, atque ut fidem verbis faceret, clavum manipulum ostendit. Martini sermone relato ad principis aures ab invidis, hic veteris consuetudinis memor, et probitatem admirans:

— Curiosum — inquit — non laudo, honestum teneo. — In indicem postea torvus: — Te domo mea — addidit — expello, qui me non de meo damno, sed de invidia tua monuisti! — Digna vivente adhuc viro vox, iustitia, et humanitas!

P. d. V.

SOCIIS MONITUM

NONNUNQUAM ad nos socii scripserunt dolentes hunc vel illum commentarii numerum suo tempore sibi non remissum; quin etiam interdum binos vel ternos quoque simul allatos.

Volumus itaque socios omnes certiores, diligentissime munus nos apud diritorum exsequi, et a culpa longissime abesse. Profecto qui subnotationem non recto tramite, sed per bibliopolas fecerunt, neque iisdem iniunixerunt, ut nomen eorum patefacerent, ipsi serius commentarium accipient, cum bibliopolae committenti commentarium inscribere teneamur...

Ceterum quivis *Vocis Urbis* numerus fortuito amissus rursus a nobis petatur, qui rationem habebimus: subnotatio autem et alia omnia semper mittantur ad **Aristidem Leonori equitem**, commentarii *Vox Urbis* possessorem et administratorem, **Romam, via Alessandrina, 87.**

A SECRETIS.

Desclée, Lefebvre & Soc.

ROMAE - VIA S. Chiara, 20-21 - ROMAE

GUIDE DE ROME

Recognovit I. BONAVENIA S. I.

Vol. in-12 pag. 292-XXIV ven. lib. 1.50 - Anglica vero tela relig. lib. 2.

Nuperrime prodierunt

CONSTITUTIONES LEONIS XIII

SUPER

IUBILAEO UNIVERSALI ANNI MDCCCC

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM

THOMAS ARIZZOLI

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiariae officialis.

Ven. lib. 1

apud commentarii VOX URBIS Administratorem.

Pro sociis comm. Vox Urbis Lib. 0.50

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
ROMAE - Via Alessandrina, 87

Prospectus Subnotationis ann. MCMI
(Vid. in secunda operculi pagina).

PHILIPPUS VITI EQUES

MARMORARIUS

ROMAE - Via Alessandrina, N. 51 e 52 - ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA
AEDICULAS

uti patet ex operibus erectis ac refectis
in Basilica Lateranensi,
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,
Eudoxiana, etc.

T. G. Fratrum PARISI CANDELARUM AD SACRA OPIFICIUM

PRAEMIIS INSIGNE

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM

Romae in Italia, in Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium
recognitionibus publi-
ce habitis maxima re-
lata munera.

LEO PP. XIII
honores addidit

Lateranensi Archi-
basilicae, itemque Va-
ticanae, quoties de Bea-
tificatione aut de Cano-
nizatione solemne sit.
suppediat.

Praecipua Templa
cereis instruit ubique
terrarum. In Asiam,
Africam et urbem Con-
stantinopolim mittit
ingentia rerum huius-
modi pondera, pretio
francs 190 pro singulis
100 Chilogramm.

Si vero ab America
aut ab Australia petan-
tur onera (300 Chilo-
gramm. ad minimum),
pretium erit francs 225
pro 100 Chilogramm.

Nullo impedio iubentum
res in proximiorem a petentibus designatum portum defertur

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur

Civis querenti explicatio erit umberior.



Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE